IACOBI
SANNAZARII
OPERA OMNIA.

Coll. Rom. Soc. Jes.

QVORVM INDICEM
sequens pagella continet.

HIS ADIECTA SVNT
selecta Poëmata, ex primo tomo Illustrium Italorum Poetarum.

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMÆ,

Apud Iacobum Tornerium.

MDXC. M. D. XC.

INDEX OPERVM SANNAZARII.

CLEMENTI VII. PONT. MAX. Actius Syncerus.

Magne parẽs, custosq; hominũ, cui ius datur v-
Claudere cœlestes, & reserare fores: (ni
Occurrent si qua in nostris male firma libellis,
Deleat errores æqua litura meos.
Imperijs venerande tuis submittimus illos:
Nam sine te recta non licet ire via.
Ipse manu, sacris q; potens Podalyrius herbis
Vlcera Pæonia nostra leuabis ope.
Quippe mihi toto nullus te præter in orbe.
Triste salutifera leniet arte malum.
Rarus honos. summo se præside posse tueri:
Rarior, à summo præside posse legi.

REVERENDISSIMO PATRI CLAVDIO AQVIVIVO SOCIETATIS IESV

GENERALI PRÆPOSITO.

IACOBVS TORNERIVS Typographus & Bibliopola. S.

SVperioribus annis pro mea in familiam iſtam religioſiſsimam obſeruantia, cui tu Reuerendiſſime Pater ſumma cum laude præes; bibliothecam eo potiſſimum conſilio inſtitui; vt eiuſdem tuæ familiæ, atque adeo IESV ſodalitatis Gymnaſijs,

eorumque præcipue adolescen tium, qui illa frequentant, vsibus deseruiret. In quibus etsi litterarum, atque optimarum artium studia vigent, pietatis tamen, ac morum honestatis multo maximam sciebam haberi rationem, nullumq; ad ea libris lasciuioribus aditum patere. Quare illud statui mihi diligenter curandum; vt veteres Poetę piorum doctorumque virorum opera ab omni verborũ impuritate vindicati proferrẽtur in lucem. Quod cum paucis ante annis, Deo bene iuuante. satis è sententia successisset: nõ obscure sensi, quam tibi id gratum in primis acciderit. Quamobrem tãto alacrior ad ea quoque ex recẽtioribus poetis seligenda perrexi, quæ istius hone

stissi-

ſtiſſimi ſodalitij ſcholis non indigna cēſeri poſſent. Nunc igitur demū Sānazarij opera prodeūt, paucis quibuſdam reciſis duntaxat quæ ipſi adoleſcentulo excidiſſe multi ſuſpicātur; quæq́; ſi is viueret nequaquam in ſuis & cū ſuis grauiſſimis carminibus viuere pateretur. vt cū iam ipſum vita ſempiterna perfrui ſperare debeamus; magnā nos ab eo gratiam inituros exiſtimemus, quòd ea ex hoc volumine detraxerimus, quę illi tenebras potius nonnullas offundere, quam lucem afferre viderentur. Hæc igitur poetæ noſtrorum temporum longe, prudentium iudicio, præſtantiſſimi, atq; alia nonnulla illuſtriū poetarum Italorum carmina eodem hoc libello comprehen

ſa in tuo potiſsimum nomine ſines eo etiam libentius apparere, quod maiores tuos clariſſimos omnique laude cumulatos, familiamque nobiliſsimã Aquiuiuam idem Actius, vt accepimus, diligentiſsime coluit, ſuumque in illam ſtudium ſatis etiam verſibus teſtatum reliquit, cum præſertim (vt alios omittam) Andreæ Matthæi aui tui non minus doctrina, quam bellica gloria præſtãtis laudes eleganti carmine celebrauit. Vale.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI,

VIRI PATRICII DE Partu Virginis.

LIBER PRIMVS.

VIRGINEI partus, magnoq; æquæua parenti
Progenies, superas cæli quæ missa per auras
Antiquā generis labē mortalib. ægris
Abluit, obstructiq; viam patefecit olympi,
Sit mihi Cœlicolæ primus labor: hoc mihi primum
Surgat opus. Vos auditas ab origine causas,
Et tanti seriem (si fas) euoluite facti.
Nec minus ò Musæ vatum decus, hic ego vestros
Optarim fonteis, vestras nemora ardua rupeis:
Quandoquidem genus è cœlo deducitis: & vos
Virginitas sanctæq; iuuat reuerentia famæ.
Vos igitur, seu cura poli, seu Virginis huius
Tangit honos, monstrate viam, qua nubila vincā:
Et mecum immensi portas recludite cœli.
Magna quidem, magna Aonides, sed debita posco,
Nec vobis ignota: etenim potuistis & antrum
Adspicere, & choreas: nec vos orientia cœlo
Signa, nec Eoos reges latuisse putandum est.

Tuq; adeo ſpes fida hominum, ſpes fida deorum
Alma parens; quã mille acies, quaq; atheris alti
Militia est, totidem currus, tot ſigna, tubæque
Tot litui comitantur, ouantiq; agmina gyro
Adglomerant: niueis tibi ſi ſollennia templis
Serta damus: ſi manſuras tibi ponimus aras
Exciſo in ſcopulo, fluctus vnde aurea canos
Deſpiciens, celſo ſe culmine Mergilline
Attollit, nautisque procul venientibus offert:
Si laudes de more tuas, ſi ſacra, diemque
Ac cætus late inſigneis, ritusque dicamus.
Annua felicis colimus dum gaudia partus:
Tu vatem ignarumque viȩ, inſuetumque labori
Diua mone, & pauidis iam lȩta allabere cœptis.
Viderat atherea ſuperum regnator ab arce,
Vndique collectas vectari in Tartara prædas:
Tiſiphonenque imo conantem cuncta profundo
Vertere, & immaneis ſtimulãtȩm ad dira ſorores
Nec iam homini prodeſſe, altȩ quod ſemina cœlo
Duceret, aut varios animum excoluiſſet ad vſus:
Tantum letiferæ poterant contagia culpæ.
Tum pectus Pater æterno ſuccenſus amore,
Sic ſecum: Ecquis erit finis? tantis ne parentum
Priſca luent pœnis ſeri commiſſa nepotes?
Vt quos victuros ſemper, ſuperiſque crearam,
Pene pareis, triſti patiar ſuccumbere letȩ.
Informeisque domos, obſcuraque regna ſubire?
Non ita: ſed diuum potius reuocentur ad horas,
Vt decet, & manuum poſcunt opera alta mearum:
Deſertosque foros, vacuique ſedilia cœli,
Actutum complere parent: legio vnde, nefandis

Acta

Acta odijs, trepidas ruit exturbata per auras.
Quumque caput fuerit, tantorumq; vna malorũ
Fœmina principium, lacrymasque & funera terris
Intulerit: nunc auxilium ferat ipſa, modumque
(Quà licet) afflictis imponat fœmina rebus.
Hęc ait: & celerem ſtellata in veſte miniſtrum
Qui caſta diuina ferat mandata puellę,
Alloquitur, facie inſignem & fulgentibus alis.
Te, quem certa vocant magnarum exordia rerum
Fide vigil, pars militiæ fortiſſima noſtræ,
Te decet ire, nouumque in ſecula iungere fœdus:
Nũc animũ huc aduerte, atq; hæc ſub pectore ſerua
Eſt vrbeis Phœnicum inter, lateque fluentem
Iordanem, regio noſtris ſat cognita ſacris,
Iudæam appellant, armiſque & lege potentem.
Hic claris exorta atauis, vatumque ducumque
Antiquum genus, & dignis licet aucta hymenæis,
Pectoris illæſum Virgo mihi caſta pudorem
Seruat adhuc, nullos non ſeruatura per annos:
(Mirus amor) ſeniumque ſui venerata mariti
Exiguis degit thalamis, & paupere tecto,
Digna polo regnare, alioq; effulgere diuum
Concilio, & noſtros æternum habitare penates.
Hanc mihi virginibus iampridẽ ex omnibus vnã
Delegi, prudenſque animo interiore locaui:
Vt foret, intacta ſanctum quæ numen in aluo
Conciperet, ferretque pios ſine ſemine partus.
Ergo age, nubiuagos molire per aera greſſus:
Deueniensque locum caſtas hæc iuſſus ad aureis
Effare, & pulchris cunctantem hortatibus imple:
Quandoquidem genus è Stygijs mortale tenebris

Eripere

Eripere est animus, suosq; arcere labores.
Dixerat. Ille altum Zephyris per inane vocatis
Carpit iter, scindit nebulas, atq; aera tranat
Ima petens, pronusq; leueis vix commouet alas.
Qualis, vbi ex alto notis Mæandria ripis
Prospexit vada, seu placidi stagna ampla Caystri,
Præcipitem sese candenti corpore cycnus
Mittit agens, iamq; implumis segnisque videtur
Ipse sibi, donec tandem potiatur amatis
Victor aquis: sic ille auras, nubeisque secabat.
Ast vbi palmiferæ tractu stetit altus Idumes:
Reginam haud humileis voluentem pectore curas
Adspicit, atq; illi veteres de more Sibyllæ
In manibus: tum si qua æuo referanda nepotum
Fatidici casto cecinerunt pectore vates,
Ipsam autem securam animi, lætamq; videres
Auctorem sperare suum. nanque adfore tempus,
Quo sacer æthereis delapsus spiritus astris
Incorrupta piæ compleret viscera matris,
Audierat. Proh quanta alti reuerentia cœli
Virgineo in vultu est? oculos deiecta modestos
Suspirat; matremque Dei venientis adorat:
Felicemque illam, humana nec lege creatam
Sæpe vocat: necdum ipsa suos iam sentit honores.
Cum subito ex alto iuuenis demissus olympo,
Purpureos retegit vultus: numenque professus
Incessitque habituq; ingenteis explicat alas:
Ac tectis late insuetum diffundit odorem.
Mox prior hæc. Oculis salue lux debita nostris,
Iampridem notum cælo iubar, optima Virgo:
Cui sese tot dona, tot explicuere merenti

Diuitiæ

Diuitiæ superum: quicquid rectiq; probique
Aeterna de mente fluit: purissima quicquid
Ad terras summo veniens sapientia cœlo
Fert secum, & plenis exundans gratia riuis.
Te genitor stabili firmam sibi lege sacrauit,
Perpetuos genitor cursus qui dirigit astris:
Mansuramq; tuo fixit sub pectore sedem.
Idcirco cœtus inter veneranda pudicos
Vna es, quam latis cœli in regionibus olim
Tot diuum celebrent voces. proh gaudia terris
Quanta dabis? quantis hominum succurrere votis
Incipies? Stupuit confestim exterrita Virgo:
Demisitque oculos: totosque expalluit artus,
Non secus ac, conchis si quando intenta legendis
Seu Micone parua, scopulis seu forte Seriphi
Nuda pedem virgo, læta noua gloria matris
Veliferam aduertit vicina ad littora puppim
Aduentare, timet. nec iam subducere vestem
Audet, nec tutò ad socias se reddere cursu:
Sed trepidans silet, obtutuque immobilis hæret.
Illa Arabum merceis, & fortunata Canopi
Dona ferens, nullis bellum mortalibus infert:
Sed pelago innocuis circumnitet armamentis.
Tum rutilus cœli alipotens, cui lactea fandi
Copia, diuinique fluunt è pectore rores
Ambrosiæ, quibus ille acreis mulcere procellas
Possit, & iratos pelago depellere ventos:
Exue Dia metus animo, paritura verendum
Cœlitibus numen, sperataque gaudia terris,
Aeternamque datura venis per secula pacem.
Hæc ego siderea missus tibi nuntius arce,

Subli-

Sublimis celeres vexit quem penna per auras,
Vaticinor, non insidias, non nectere fraudes
Edoctus: longe à nostris fraus exulat oris.
Quippe tui magnum magna incrementa per orbem
Ipsa olim partus Virgo sobolisque beatæ
Adspicies. vincet proauos: proauitaque longo
Extendet iura imperio: populisque vocatis
Ad solium, late ingentes moderabitur urbeis:
Nec sceptri iam finis erit, nec terminus æui.
Quin iustis paulatim animis pulcherrima surget
Relligio, non monstra, pijs sed numina templis
Placabunt castæ diris sine cædibus aræ.
Dixerat: illa animum sedato pectore firmans
Substitit, & placido breuiter sic ore locuta est.
Conceptus ne mihi tandem partusque futuros,
Sancte refers? mene attactus perferre virileis
Posse putas? cui vel nitenti matris ab aluo
Protinus inconcussum, & ineluctabile votum
Virginitas fuit vna. nec est cur soluere amatæ
Iura pudicitiæ cupiam, aut hæc fœdera rumpam.
Imo istas, quod tu minime iam rere, per aureis
Excipit interpres, fœcundam spiritus aluum
Influet, implebisque potenti viscera partu,
Flammifero veniens cœlo atque micantibus astris
At tu virgineum mirata tumescere ventrem,
Hærebis pauitans. demum formidine pulsa,
Gaudia seruati capies inopina pudoris,
Neue hæc vana putes, dictis aut territa nostris
Indubites: seræ dudum concessa senectæ
Dona oculos pone ante tuos. Nam sanguine auito
Iuncta tibi mulier (sterilis licet illa, grauique
Pressa

Pressa suo) haud quaquã speratũ hoc tẽpore pign⁹
Fert vtero & fęlix sexto sub mense laborat.
Vsque adeo magno nil non superabile cœlo est.
His dictis, Regina oculos ad sidera tollens
Cœlestumque domos superas: atque aurea tecta,
Adnuit, & taleis emisit pectore voces.
Iam iam vince fides, vince obsequiosa voluntas.
En adsum: accipio venerans tua iussa, tuumque
Dulce sacrũ pater omnipotens: nec fallere vestrũ
Cęlicola: nosco crineis, nosco ora, manusque (est
Verbaq; & aligerũ cœli haud variantis alumnũ.
Tantum effata, repente noua micuisse penateis
Luce videt: nitor ecce domum compleuat: ibi illa,
Ardentum haud patiens radiorum, ignisq; corusci
Extimuit magis. At venter (mirabile dictu)
(Non ignota cano) sine vi, sine labe pudoris,
Arcano intumuit verbo. Vigor actus ab alto
Irradians Vigor omnipotens, Vigor omnia cõplens,
Descendit, Deus ille, Deus: totosque per artus
Dat sese, miscetque vtero, quo tacta repente
Viscera contremuere. silet natura pauetque
Attonita similis: confusaque turbine rerum
Insolito, occultas conatur quęrere causas.
Sed longe vireis alias, maioraque sentit
Numina: succutitur tellus: lęuumque sereno
Intonuit cœlo rerum cui summa potestas,
Aduentum nati genitor testatus: vt omnes
Audirent late populi, quos maximus ambit
Oceanus, Tethysque & raucisona Amphitrite.
Hos inter medios cœli, terraque fragores
Aequatis properans volucer pulcherrimus alis

Omnia

Omnia dum trepidant, discesserat, altaq; nabat
Per loca, cum Virgo celsis in nubibus illum
Alternantẽ humeros videt, atq; immẽsa secantem
Ventorum spatia, & iam versicolore per auras
Fulgentem pluma, ac cœli conuexa petentem.
Quem demum tali adspectans sermone secuta est.
Magne ales, celsi decus ætheris, inuia rerum
Qui penetras, longeq; & nubila linquis, & Euros
Anteuolans, lęto seu te felicia tractu
Sydera, quæq; suos voluuntur signa per orbeis
Expectant redeuntem: alti seu certa reposcit
Crystalli domus, & vitrei plaga lucida regni
Seu propiora vocant supremo tecta Tonanti,
Qua patet in summum regio flammantis olympi.
Teq; amor, & liquidis flagrans alit ignibus aura:
I precor, i nostrum testis defende pudorem:
Nec plura his: tum vero aciem deflectit, & omneis.
Haud mora sollicito percurrit lumine monteis:
Agnatamq; animo, conceptaq; pignora versat,
Multa putans: serumque vteri miratur honorem.
Interea maneis descendit fama sub imos,
Pallentisq; domos veris rumoribus implet:
Optatum aduentare diem, quo tristia linquant
Tartara, & euictis fugiant Acheronta tenebris,
Immanemq; vlulatum, & non lætabile murmur
Tergemini canis: aduerso qui carceris antro
Excubat insomnis semper, rictuq; trifauci
Horrendum, stimulante fame, sub nocte profunda
Personat, & morsu venienteis appetit vmbras.
Tum verò Heroes lætati, animæq; piorum,
Ad cœlum erectas cœperunt tendere palmas,

Atq; hic insignis funda, citharaque decorus,
Insignis sceptro senior, per opaca locorum
Dum graditur, nectitq; sacros diademate crineis:
Dum legit effœtos Lethæo in gramine flores,
Quà ta cite labuntur aquæ, mutæq; volucres
Ducunt per sterileis æterna silentia ramos:
Attonita subitos concepit mente furores,
Diuinamq; animam, & consueto numine plenus,
Intorquens oculos, venientia fata recenset.
Nascere magne puer: nostros quem soluere nexus,
Et tantos genitor voluit perferre labores.
Magne puer, cui se hac tandem spolianda reseruãt
Regna, tot heu miseris hominum ditata ruinis,
Nascere, venturum si te mortalibus olim
Pectore veridico promisimus: igneus vt nos
Viribus adflatos cœlestibus ardor agebat
Insinuans: si sacra peregimus, & tua latè
Iussa per immensum fama vulgauimus orbem.
En ridet pax alma tibi: simul ecce potentes
Impulsi cœlo, diuisq; auctoribus acti
Orbe alio properant Reges. Saluete beati
Æthiopes, hominum sanctum genus, astra secuti:
Scilicet huc vestris adfertis munera regnis.
Accipe dona puer: tuq; ò sanctissima mater
Sume animos: iam te populiq;, ducesq; frequentãt
Littore ab extremo, & odoriferis Nabathæis.
Ille autem aurata fulgens in veste sacerdos
Iam canus, iam maturo venerabilis æuo
Quid sibi vult? sacras puerum qui sistit ad aras,
Sic venerans? lætoque inspectans æthera vultu?
Seque dehinc facili clausurum lumina fato,

Exclamat: quod speratum per secula munus,
Promissamq; diu pacem, certamq; salutem
Terrarum exorta liceat sibi luce tueri
Optanti, seniumq; ideo, Parcasq; trahenti.
Sed quid ego (heu) dira conspersos cæde penateis
Infentum, & subito currenteis sanguine riuos
Adspicio? tristisq; meas vagitus ad aureis
Fertur? ò scelus est partus iugulare recenteis.
Crudelis, quid agis? nihil hi meruere: neque illum,
Quem petis, insano dabitur tibi perdere ferro.
Nunc nunc ò matres scelerata abscedite terra,
Dum licet, inq; sinu pueros abscondite vestros:
Nam ferus hostis adest. propera iam regia virgo,
Inq; Parethonias transfer tua pignora terras:
Admonet hoc magnum genitor qui temperat orbē,
Tuta domus, tutique illic tibi Dia recessus.
Verum vbi bis senas hyemes, bis senaq; nati
Solstitia, & tantos superaueris anxia casus:
Ingenteis imo duces de pectore questus,
Aureaq; assiduis pulsabis sidera votis.
Nam puerum, quamuis per compita sæpe vocatum
Sæpe expectatum consueta ad gaudia mensa,
Perquires nequicquam amens: nec chara petentē
Oscula, nec sera redeuntem nocte videbis.
Treisq; illum totos mœrenti pectore soles,
Et totidem trepidas somni sine munere nocteis
Omnia lustrantes, questu omnia confundentes
Flebitis, indigno perculsi corda dolore
Tuq; senexq; tuus. Quarto sed Lucifer ortu
Purpureos tremulo cum tollet ab æquore vultus,
Inuentum dabit, & quærentibus offeret vltro.

O quas tunc lacrymas, ò quæ tunc oscula mater,
Quos dabis amplexus, mißo inter gaudia fletu:
Cum natum ante aras Patris, & delubra sedentẽ.
Mulcentemq; senes dictis, animosq́; trahentem,
Adspicies gauisa ipso admirante senatu
Primitias pueri ingenteis, nec inane sagacis
Pectoris indicium, nataq; ad grandia mentis.
Tu vero quid in arma ruis scelerata iuuentus,
Quid galeas, enseisq́; virum, & fulgentia cerno
Agmina? scutatasq́; procul sub nocte coborteis
Obscura, & crebris radianteis ignibus hastas?
Totne vnum telis petitur caput? heu furor, heu mẽs
Cæca hominum, semperq; odijs adcincta nefandis,
Iamq́; oleas, montemq́; sacrum circumq́;, supraque
Cinxere, & longa lucum obsidere corona.
Quò feror? ecce trahũt manibus post terga reuinctis
Insontem: modo quem latas mira illa per vrbeis
Edentem, patrisque palam præcepta docentem
Adtoniti stupuere, illum regemq́; Deumq;
Humanæq; ducem vitæ, fontemque salutis
Haud veriti populo circum plaudente fateri.
Heu facinus: mortemne etiam, & crudele minãtur
Supplicium? sæuos stringunt in vulnera fasceis,
Horrentei sq́; parant paliuro intexere dumos,
Tormenti genus: & capiti premere inde coronam
Vulnificam. Viden' alternos vt arundinis ictus
Incutiunt? geminantque truci conuitia lingua?
Parte alia ingenteis video de stirpibus imis
Euerti palmas, altas ad sidera palmas.
Infelix opus. vnde hominum lux illa, decorq́;
Pendeat. ah trepidis dirum, & miserabile terris:

 Cum

Cum patri ętherêo moriens liuentia pandet
Brachia, turpatosque atra de morte capillos,
Oraque, demissosque oculis frontemque cruorem
Iam madidam, & lato patefactum pectus hiatu.
At mater, non iam mater, sed flentis, & orba
Infelix simulacrum, ægra, ac sine viribus vmbra,
Ante crucem demissa genas, effusa capillum
Stat lacrymans, tristique irrorat pectora fletu.
Ac si iam comperta mihi licet ore profari
Omnia: defessi spectans morientia nati
Lumina, crudeles terras, crudelia dicit
Sidera: crudelem sese, quòd talia cernat.
Vulnera sæpe vocat: tum luctisono vlulatu
Cuncta replens, singultanti sic incipit ore:
Incipit, & duro figit simul oscula ligno
Exclamans; Quis me miseram, quis culmine tanto
Deiectam subitis inuoluit, nate, procellis?
Nate patris vires, sanguis meus, vnde repentè
Hæc fera tempestas? quis te mihi fluctus ademit?
Quæ manus indignos fœdauit sanguine vultus?
Cui tantum in superos licuit? bella impia cœlo
Quis parat? hunc ego te, post tot male tuta labore.
Postque tot infelix elapsa incommoda vitæ
Adspicio? tune illa tuæ lux vnica matris?
Tunc animæ pax, & requies, spesque vltima nostræ
Sic raperis? sic me solam, exanimemque relinquis?
O dolor extincto iam te pro fratre sorores,
Pro natis toties exorauere parentes:
Ast ego pro nato, pro te dominoque, deoque
Quem misera exorem? quò tristia pectora vertã?
Cui querar? ò tandem diræ me perdite dextræ:

Me potius (si qua est pietas) immanibus armis
Obruite: in me omneis effundite pectoris iras:
Vel tu (si tanti est hominum genus) eripe matrem
Quæ rogat, & Stygias tecum duc, nate, sub vmbras
Ipsa ego te per dura locorum, inamœnaque viuis
Regna sequar. liceat rumpentem cernere portas
Æratas: liceat pulchro sudore madentem
Euersorem Erebi materna abstergere dextra.
Hos illa plureis fundet de pectore questus.
Quod scelus Eois vt primum cernet ab vndis
Sol: indignanteis retro conuertere currus
Optabat; frustraq; suis luctatus habenis,
Quod poterit tandem, auratos ferrugine crineis
Inficiet, mœstamque diu sine lumine frontem
Ostendet terris: vt qui iam ploret adeptum
Autorem regemq; suum. quin ipsa nigranti
Fratris ab ore timens, & tanto concita casu
Cynthia, cæruleo vultus obnubet amictu,
Auertetq; oculos, lacrymasque effundet inaneis.
At contra horrisono tellus concussa tremore,
Cum gemitu fremet: & ruptis excita sepulcris
Emittet simulacra, Quid o quid abire paratis
Illustres animæ? non omnibus hæc data rerum
Conditio, paucis remeare ad lumina vitæ
Concessum: Sed tempus erit, cum Martia rauco
Mugitu cœlum quatiet tuba: cumq; repente
Corpora per terras omneis late omnia surgent.
Nunc autem sat Tartarei si claustra tyranni
Effringat Rex ille: & caligantia pandat
Atria: diffugiant immisso lumine diræ
Eumenidum facies iactis in terga colubris

Quas atro vix in limo Phlegethontis adustum
Accipiat nemus, & fumanti condat in vlua.
Tum variæ pestes: & monstra horrentia Ditis
Ima petant: trepident Briareia turba, Cerastæ,
Semiferumque genus Centauri, & Gorgones atræ
Scyllæque Sphingesq; ardentisq; ora Chimæræ,
Atq; Hydræ, atque Canes, & terribiles Harpyiæ.
Ipse catenato fessus per tartara collo
Ducetur Pluton: tristi quem murmure circum
Inferni fractis mœrebunt cornibus amnes:
At nos virginea præcincti tempora laurus
Signa per extentos cœli victricia campos
Tollemus, lætoque ducem clamore sequemur:
Victor iò, bellator iò, tu regna profunda,
Tu maneis, Erebumque, potestatesque coertes
Aerias, lethumque tuo sub numine torques.
Ille alto temone sedens, leuibusq; quadrigis
Lora dabit, volucresq; reget placido ore iugaleis,
Non iam cornipedum ductos de semine equorum,
Nec qui consuetas carpant præsepibus herbas.
Primus enim valido subnixus eburnea collo
Fert iuga formosi pecoris custodia Taurus,
Stellatus minio Taurus: cui cornua fronti
Aurea, & auratis horrent palearia setis:
Perq; pedes bifida rapiant noua sidera gemma,
Torua boui facies: sed qua non altera cœlo
Dignior, imbriferum quæ cornibus inchoet annũ,
Nec quæ tam claris mugitibus astra lacessat.
Et iuxta nemorum terror, rexque ipse ferarum
Magnanimus nitet ore Leo: quem fusa per armos
Conuestit iuba: pectoribus generosa superbit
Maiestas:

Maiestas. non iam vt cædeis, aut prælia sæuus
Appetat (innocuis armantur dentibus ora:
Grataq; tranquillo ridet clementia vultu)
Sed cœlo vt spatietur, & alta ad sidera tendat.
Hos post insequitur pulchros pennata per artus
Alituum regina: sacra cui vertice plumæ
Adsurgunt. flauoque caput diademate fulget.
Ipsa ingens alis, ingentis fulminis instar
Supra hominũ tecta, ac mõteis, supraque volucres
Fertur, & obstanteis cursu petit obuia nubeis.
Vltimus humana sociat ceruice laborem
Alatus tergo iuuenis: cui luthea læuo
Ex humero clamys eois inspersa lapillis
Pendet: eam variant centum longo ordine Reges
Antiquum genus, & Solymæ primordia gentis,
Ostro intertexti. veros cognoscere vultus
Est illic: veros monteis: & flumina credas:
Et uera extremo Babylon nitet aurea limbo.
Tali sidereas currus subuectus in auras,
Indutos referens spolijs pallentibus axeis
Perueniet recto quà panditur orbita tractu
Lactea, & ad sedeis ducit candentis olympi.
Illic auratæ muros mirabimur vrbis,
Auratasque domos; & gemmea tecta, viasque
Stelliferas: vitreosq; altis cum montibus amneis.
Atque ibi seu magni celsum penetrale Tonantis,
Siue alios habitare lareis, at tecta minorum
Cœlicolum dabitur: stellas numerare licebit,
Surgentemque diem pariter, pariterque cadentem
Sub pedibus spectare & longos ducere soleis,
Longaque venturis protendere nomina seclis.

Hæc vbi dicta:patres plausu excepere frequentes
Fatidicum vatem,sublatumq; aggere ripæ
Attollunt humeris,lætumq; , per auia ducunt.
Intremuere Erebi sedes, obscuraq; Ditis
Limina , suspirans imo de corde Megæra
Dat gemitum,& toruas spectat sine mente sorores.
Tum caudam exululãs sub ventre recondidit atrã
Cerberus,& fonteis latratu terruit vmbras:
Commotisq; niger Cocytus inhorruit antris:
Et vaga Sisyphijs hæserunt saxa lacertis .

LIBER
SECVNDVS.

R*EGINA vt subitos imo sub pectore motus*
Sensit , & adflatu diuini numinis aucta est:
Haud mora,digressu volucris suspensa ministri,
Exurgit:monteisq; procul contendit in altos
Festinans. ea cura animo vel prima recursat:
Matronam defessam æuo, cui nulla fuissent
Dona vteri(mirum dictu)iam segnibus annis
Fœcundum,sextiq; grauem sub pondere mensis,
Protinus adfari, vocemq; audire loquentis,
Et spectare oculis sterili data pignora matri.
Ergo accincta viæ,nullos studiosa paratus
Induitur,nullo disponit pectora cultu:

Tantum

Tantum albo crineis iniectu vestis inumbrans:
Qualis stella nitet, tardam qua circuit Arcton
Hyberna sub nocte: aut matutina resurgens
Aurora: aut vbi iam Oceano Sol aureus exit.
Quaq; pedes mouet, hac casiã terra alma mini-
Pubenteisq; rosas, nec tã mœstos hyacinthos, (strat
Narcissumq;, crocumq; & quicquid purpureũ ver
Spirat hians, quicquid florum per gramina passim
Suggerit immiscens varios natura colores.
Parte alia celeres sistunt vaga flumina cursus:
Exultant vallesq; caua, collesq; supini:
Et circunstantes submittunt culmina pinus:
Crebraq; palmiferis erumpunt germina syluis.
Omnia lætantur. cessant Euriq; Notiq;:
Cessat atrox Boreas. tantum per florea rura
Regna tenent Zephyri, cœlumq; tepentibus auris
Mulcent, quaq; datur, gradientem voce salutant.
Vt ventum ad sedeis: vultu longæua verendo
Occurrit coniux iusti senis: atque repente
Plena deo, subitoq; vteri concussa tumultu,
Excipit amplexu venientem, ac talibus infit:
O decus, ò laudis mulier dux praua nostra,
Cælitibus sola humanum quæ digna reperta es
Conciliare genus, cœtusq; attollere ad astra
Fœmineos: gremium cuius diuinus obumbrat
Palmes, inexhaustis terras qui compleat vuis:
Quis me, quis tanto superum dignatur honore?
Tune procul visura humileis Regina penateis
Venisti? tune illa mei pulcherrima regis
Mater ades? viden' vt nostra puer excitus aluo,
Cum mihi vix primas vocis sonus ambiat aureis,

Iam salit, & dominum ceu præcursurus adorat.
Felix Virgo animi, felix, cui tanta mereri
Credulitas dedit vna: in te nam plena videbis
Omnia, quæ magni verax tibi dixit Olympi
Aliger, arcano delapsus ab æthere cursu.
Illa sub hæc: Miranda alti quis facta Toanntis,
O mater, meritas cœlo quæ tollere laudes
Vox queat? exultant dulci mea pectora motu
Auctori tantorum operum: qui me ima tenentem,
Indignamq; humilemq; suis respexit ab astris.
Munere quò genteis felix ecce vna per omneis
Iam dicar: nec vana fides: ingentia quando
Ipse mihi ingenti cumulauit munera dextra
Omnipotens, sanctumq; eius per secula nomen,
Et quæ per magnas clementia didita terras
Exundat, qua passim omneis sua iussa verenteis
Vsque fouens, nullo neglectos deserit æuo.
Tum fortem exertās humerū, dextramq; coruscā,
Insanos longe fastus, menteisq; superbas
Dispulit, afflixitq; super. solioq; potenteis
Deturbans dedit in præceps, & ad ima repressit:
Extollensq; humileis aliena in sede locauit:
Pauperiemq; famemq; fugans, impleuit egenos
Diuitijs: vacuos contra nudosq; reliquit,
Qui nullas opibus metas posuere parandis.
Postremo sobolem (neq; enim dare maius habebat)
Æternam genitor sobolem, seclisq; priorem
Omnibus, æqualemq; sibi de sanguine fidi
Suscepit pueri (tantis quod honoribus vnum
Deerat adhuc) non ille animi, morumq; suorum
Oblitus. quippe id meditans promiserat olim

Sacri-

Sacrificis proauorum atauis, stirpiq; nepotum.
Hæc virgo: At senior, nullus cui vocis adempta
Vsus erat, supplex nunc gressum obseruat euntis,
Virgineosq; pedes, tactaq; dat oscula terra:
Nunc lætus tollit dupliceis ad sidera palmas:
Quoq; potest solo testatur gaudia nutu:
Ostenditq; manu vatum tot scripta priorum:
Quæ quis agente deo, quondã. dum vita manebat,
Edidit, & populis liquit celebranda futuris:
Scilicet effusum tacitis de nubibus imbrem
Lanigerum in tergus: germenq; è stirpe vetusta
Arboris exurgens: incombustumq; sonoro
Igne rubum: & priscis stellam de patribus ortam,
Quæ dum cuncta graui. venturi haud inscia visu
Percurrit relegens, alto cum corde volutat
Conceptus Virgo insolitos, & ab æthere lapsam
Progeniem, pluuiæ in motem, quæ vellere molli
Excepta, haud vllos sonitus, nec murmura reddit.
Seq; Rubum, Virgamq; alto se denique missam
Sidus grande mari prorsum agnoscitq;, videtq;.
Non tamen ausa loqui, tanto aut se dicere dignam
Munere: sed tacito affectu tibi maxime diuum
Grateis rector agit, mentemque ad sidere tollit.
Et iam Luna cauum ter luce repleuerat orbem,
Ter solitas de more intrarat cæca latebras:
Cum Virgo in patriam reditũ parat, omnia quãdo
Certa videt. subeunt dilectæ grata parentis
Alloquia, adsuetæq; pijs sermonibus ades:
Quæque salutantis voces, ac verba ministri
Audijt, & primos excepit cella volatus:
Cella Choris superum lustrata, & cognita cœlo.

Ergo

Ergo iter inceptum charis digressa propinquis
Accelerat; relegitque viam per nota locorum.
Nec mora, nec requies vsquam: nec lumina flectit
Cœlicolum quamuis sacro circundata cœtu,
Donec ad optatum peruenit sedula limen.
Atque ibi, dum consueta suo cum pectore versat
Gaudia: paulatim maturi tempora ventris
Aduentare videt. scires iam numen in illa
Grade tegi, nullos adeo sentire dolores
Dat superum genitor, nullaq; ex parte grauari.
Interea terra parta iam pace, marique
Augustus pater gratis bella impia portis
Clauserat, & validis arctarat vincla catenis
Dumq; suas regnator opes, vireisque potentis
Imperij, exhaustasque armis ciuilibus vrbeis
Nosse cupit, magnum censeri iusserat orbem,
Describi populos late, numerumque referri
Cunctorum ad sese capitum, quæ maxima tellus
Sustinet, & rapido complectitur æquore Nereus.
Ergo omneis lex vna mouet, sua nomina mittunt.
Qui monteis Aurora tuos, regna illa feracis
Armeniæ, qui conualleis, atque alta Niphatæ
Saxa tenent, longe pictis gens nota pharetris,
Gens fineis lustrare suos non segnis, & arcus,
Qua vagus Euphrates, qua deuius exit Araxes,
Felices tractus, & late munere diuum
Concessos defendere agros bene olentis amomi:
Censetur Tauri passim, censetur Amani
Incola: prædatorq; Cilix: & Isaurica quisquis
Rura domat: quicunque tuas Pamphylia syluas:
Quique Lycaoniam felicia iugera: quique

Flauentem curuis Lyciam perrumpit aratris.
Iam clari bello Leleges, populique propinqui
Iussa obeunt: gens quæque suo dat nomina ritu
Qui Ceramon, Limarēq; Gnidon, quiq; alta tuen-
Mœnia, dispositis vbi circum septa columnis (tur
Tollit se niuei moles operosa sepulcri,
Barbara quam rapto posuit regina marito:
Et quos Mæandri, toties ludente recursu,
Vnda rigat, rigat ipso mox amne Cayster,
Herboso niueos dum margine pascit olores.
Quosq; metalliferis veniens Pactolus ab antris
Circuit, & rutila non parcior Hermus arena.
Mysorum manus omnis: Apollineaq; Celenę
Idaq; Rhœtæaque arces, celebrataque Musis
Pergama, Sigæumque iugum, Priameia quondā
Regna armis, ducibusq; ducum nūc nota sepulcris
Quæ nauta, augustum dum præterit Hellespontū
Ostendens socijs, hoc, inquit, littore flentes
Nereides steterant, passis cum mœsta capillis
Ipsa suum de more Thetis clamaret Achillem.
His & Bithynę classes, & Pontica late
Accedit regio, paret scopulosa Carambis:
Parendi studio feruet simul alta Sinope:
Feruet Halys: quiq; immensis procul amnibus au-
Cappadocū medios populos discriminat Iris: (ctus
Thermodoonq; Halybesq; adtritaq; saxa Prome-
Præterea qua se Thracū Mauortia tellus (theo.
Pandit, & algentē Rhodope procurrit in Aemum:
Qua Macedum per saxa ruit torrentibus vndis
Axius, vmbrosæq; tegunt Halyacmona ripæ:
Quaque iacet diris, omen Pharsalia bellis,

Et bis

Et bis Romana ferales clade Philippi,
Conueniunt populi certatim, & iussa facessunt.
Vos etiam vestros his adiunxistis alumnos
Vicinæ passim vacuis iam mœnibus vrbes,
Antiquæ Graiorum vrbes, gens optima morum
Formatrix, clara ingenijs, & fortibus ausis:
Seu quæ littoreos tractus, monteisque tenétis:
Seu quæ per medias dispersæ exurgitis vndas.
Tum latus Epiri quà formidabile nautis
Attollunt summo caput Acroceraunia cœlo,
Vrget opus. iamque Alcinoi dat regia censum,
Illyricæque manus, impacatique Liburni;
Litoraque Ionio passim pulsata profundo.
Nec tu cui latè imperium terræque marisque
Bellatrix peperit virtus, & Martius ardor,
Non populos non ipsa tuas terra inclyta genteis
Describis, terra vna armis: & fœta triumphis,
Vna viris longe pollens, atque æmula cœlo:
Nubiferæ quam præruptis anfractibus Alpes
Præcingunt, mediamque pater secat Apenninus,
Et geminum rapido fluctu circumtonat æquor.
Descripsere suos (quamuis non axe sub vno)
Hinc Rhenus pater indigenas, hinc latior vndis
Danubius: qui syluarum per vasta volutus,
Pascere non populos, non lambere desinit vrbeis,
Donec ad optatam rapido venit agmine Peucen.
Quin & proceras scrutatur Gallia syluas,
Gallia Cæsareis Latio dignata triumphis:
Quà Rhodanus, quà findit Arar, quà permeat ingẽs
Sequana, piscosoque interluit amne Garumna.
Tum quas piniferis genteis prærupta Pyrene

Rupibus

Rupibus, Herculeas prospectat ad vsque columnas
Cogit Anas: cogit ripa formosus vtraque
Duria; & albenti Batis pracinctus oliua,
Auratamque Tagus voluens sub gurgite arenam,
Quique suo terras insignit nomine Iberus.
Parte alia vastas circumuocat Africa vireis:
Getuli, Maurique duces rimantur opaci
Atlantis nemora, & dispersa mapalia syluis.
Scribitur & vacuis vt quisque inuentus arenis
Seu pastor, seu succinctis venator in armis
Obseruans saeuos latebrosa ad tesqua leones.
Massylum quicunque domos quicunque repostos
Hesperidum lucos, munitaque montibus arua
Incolit, & ramis natiuum decutit aurum:
Vt qui vertenteis immania saxa iuuencos
Flectit arans: quà deuicta Carthaginis arces
Procubuere, iacentque infausto in littore turres
Euersa. Quantum illa metus, quantum illa laborũ
Vrbs dedit insultans Latio. & Laurentibus aruis.
Nunc passim vix relliquias, vix nomina seruans
Obruitur proprijs non agnoscenda ruinis,
Et querimur genus infelix humana labare
Membra auo: cum regna palã moriantur & vrbes.
Iamque Macas idem ardor habet: venere volentes
Barcai: venere suis Nasamones ab aruis:
Naufragas qui per Syrteis, infidaque circum
Littora, mœrentum spolijs onerantur & alto:
Insiliunt nudi cumulos extantis arena,
Inque suas vertunt aliena pericula pradas,
Postremo Psylli, Garamanticaque arua tenentes:
Quiq; Cyrenaas suspendunt vomere glebas,

Laudatasque legunt ſuccis præſtantibus herbas.
Quique Iouis palmeta, Hasbytarumque receſſus
Marmaricas qui late oras: qui paſcua ſeruant
Aegypti, Meroesque, ſacer quos Nilus inundat,
Nilus ab æthereo ducens cunabula cœlo.
Nec minus & caſta ſenior cum Virgine cuſtos
Ibat, vt in patria nomen de more, genusque
Ederet, & iuſſum non ſegnis penderet aurum.
Ille domum antiquã, & regnata parentibus arua
Inuiſens, ſecum proauos ex ordine reges,
Claraq; facta ducũ, pulchrãq; ab origine gentem
Mente recenſebat tacita: numerumque ſuorum,
Quamuis tunc pauper, quamuis incognitus ipſis
Agnatis, longe adueniens explere parabat.
Iam fineis Galilæa tuos emenſus, & imas
Carmeli valleis, quæque altus vertice opacat
Rura Thabor, ſparſamq; iugis Samaritida terrã
Palmiferis, Solymas à læua liquerat arceis,
Cum ſimul è tumulo muros, ac tecta domorum
Proſpexit, patriæque agnouit mœnia terræ:
Continuo lacrymis vrbem veneratur obortis:
Itenditque manus, & ab imo pectore fatur:
Bethlemiæ turres, & non obſcura meorum
Regna patrum, magnique olim ſaluete penates:
Tuque o terra parens regum viſuraque regem,
Cui ſol & gemini famulantur cardinis axes,
Salue iterum. te vana Iouis cunabula Crete
Horreſcet, ponetque ſuos temeraria faſtus:
Mœnia te Dircæa trement, ipſamque pudebit
Ortygiam geminos Latonę extollere partus.
Parua loquor prono veniet diademate ſupplex,

Illa potens rerum, terrarumque inclyta Roma:
Et septemgeminos submittet ad oscula monteis.
Dixit, & extrema mouit vestigia voce:
Maturatque viam senior: tardumque fatigat
Vectorem: & visas gressum molitur ad horas.
Et iam prona dies fluctus vrgebat Iberos,
Purpureas pelago nubeis, aurumque relinquens.
Ecce autem magnis plenam conuentibus vrbem
Protinus, vt venere, extremo e limine portæ
Adspiciunt. Mistum confluxerat vndique vulgus,
Turba ingens credas longinquo ex æquore vectas
Ad merceis properasse, aut deuastantibus arua
Hostibus, in tutum trepidos fugisse colonos.
Cernere erat perq; anfractus, perque arcta viarũ
Cuncta replesse viros, confusoque ordine matres:
Permistos pecori agricolas, hos iungere plaustra:
Hos intendere vela: alios discumbere apertis
Porticibus: resono compleri cuncta tumultu:
Accensos variis lucere in partibus igneis.
Quę pater admirans, tacito dum singula visis
Percurrit, circumque domos, & limina lustrat,
Nec superesse locum tecto videt: ibimus, inquit,
Quo Deus, & quo sancta vocant oracula patrum.
Est specus haud ingẽs paruis sub mœnib⁹ vrbis
Incertum, manibus ne hominum, genio ne potentis
Naturę formatus, vt hæc spectacula terris
Prębei et, tantosque diu seruatus in vsus.
Hospitio cœlum acciperet, cui plurima dorso
Incumbit rupes pendentibus vndique saxis
Aspera: & exesa cingunt latera ardua cautes:
Defunctis operum domus haud ingrata colonis

Huc heros tandem superata ambage viarum
Sic monitus ducente deo, cum coniuge sancta
Deuenit, multaq; senex se nocte recepit.
Ac primum siccis ramalibus excitat ignem:
Stramineoq; toro comitem locat: ægra cubantis
Membra super vestem inuoluēs: mox alligat ipsos
Permulcens, iam non duros, iam sponte sequenteis
Quadrupedes, vt forte aderat fœnile saligna
Subfultum crate, & palmarum vimine textum.
Nūc age, Castaliis quę nunquā audita sub antris
Musarumve choris celebrata, aut cognita Phœbo,
Expediam: vos secretos per deuia calleis
Cœlicolæ vos (si merui) monstrate recessus
Intactos: ventum ad cunas, & gaudia cœli,
Mirandosque ortus, & tecta sonantia sacro
Vagitu, stat ferre pedem, qua nulla priorum
Obuia sint oculis vatum vestigia nostris.
Tempus erat, quo nox tardis inuecta quadrigis
Nondum stelliferi mediam peruenit olympi
Ad metam, & tacito scintillant sidera motu:
Cum syluæq;, vrbesque silent, cum fessa labore
Accipiunt placidos mortalia pectora somnos:
Non fera, non volucris, non picto corpore serpens
Dat sonitum. tamq; in cineres consederat ignis
Vltimus: & sera perfusus membra quiete
Scruposo senior caput adclinauerat antro.
Ecce autem nitor ex alto nouus emicat, omnemque
Exuperat veniens atræ caliginis vmbram:
Auditique chori superum, & cœlestia curuas
Agmina pulsantum citharas, ac voce canentum
Agnouit sonitum, partusq; instare propinquos

Haud dubijs Virgo sensit lætissima signis.
Protinus erigitur stratis, cœloque nitenteis
Attollit venerans oculos, ac talia fatur:
Omnipotens genitor, magno qui sidera nutu
Acriosque regis tractus, terrasque, fretumque,
Ecquid adest tempus, quo se sine labe serenam
Efferat in lucem soboles tua? quo mihi tellus
Rideat, & teneris depingat floribus arua?
En tibi maturos fructus, en reddimus ingens
Depositum: tu ne qua pio iactura pudori
Obrepat, summo defende, & consule cœlo.
Ergo ego te gremio reptantem, & nota petentem
Vbera chare puer, molli studiosa fouebo
Amplexu: tu blanda tuæ dabis oscula matri
Adridens: colloque manum, & puerilia nectes
Brachia: & optatam capies per membra quietem
Sic memorat, fruiturque deo, comitumq; micãti
Agmine, diuinisq; animum concentibus explet.
Atque olli interea reuoluto sidere felix
Hora propinquabat. Quis me rapit? accipe vatem
Diua tuum, rege diua tuum, feror arduus altas
In nubeis: video totum descendere cœlum
Spectandi excitum studio. Da pandere factum
Mirum, indictum, insuetum, ingens; absistite curæ
Degeneres, dum sacra cano. Iam læta laborum,
Iam non tacta metu, secli regina futuri
Stabat adhuc, nihil ipsa suo cum corde caducum,
Nil mortale putans: illam natusque paterque,
Quique prius, quàm Sol cœlo, quàm Luna niteret,
Spiritus obscuras ibat super igneus vndas,
Stant circum, & magnis permulcent pectora curis

Præterea redeunt animo quæcunque verendus
Dixerat interpres: acti sine pondere menses,
Seruatusque pudor: clausa cum protinus aluo
(O noctem superis lætam, & mortalibus ægris)
Sicut erat folijs, stipulaque innixa regenti,
Diuinum spectante polo spectantibus astris
Edit onus, Qualis rorem cum vere tepenti
Per tacitum matutinus desudat Eous:
Et passim teretes lucent per gramina guttæ:
Terra madet: madet aspersa sub veste viator
Horridus, & pluuiæ vim non sensisse cadentis
Admirans, gelidas vdo pede proterit herbas.
Mira vides, puer æthereas iam lucis in auras
Prodierat, fœnoque latus male fultus agresti,
Impulerat primis resonum vagitibus antrum.
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incursanteis deuexi ponderis ictus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.
Haud aliter, quàm cum purum specularia Solem
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omneis
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras:
Illa manent illæsa: haud vlli peruia vento,
Non hyemi, radijs sed tantum obnoxia Phœbi.
Tunc puerum tepido genitrix inuoluit amictu,
Exceptumq; sinu, blandeq; ad pectora pressum
Detulit in præsepe. Hic illum mitia anhelo
Ore fouent iumenta. O rerum occulta potestas?
Protinus agnoscens dominum procumbit humi bos
Cernuus: & mora nulla, simul procumbit asellus
Submittens caput. & trepidanti poplite adorat
Fortunati ambo: non vos aut fabula Cretæ

Polluet,

Polluet, antiqui referens mendacia furti,
Sidoniam mare per medium vexisse puellam.
Aut sua dum madidus celebrat portenta Cytherõ
Infameis inter thyrsos, vinosaque sacra
Arguit obsequio senis insudasse profani.
Solis quippe Deum vobis, & pignora cœli
Nosse datum, solis cunabula tanta tueri.
Ergo dum refluo stabit circundata fluctu
Terra parens, dum præcipiti vertigine cœlum
Voluetur, Romana pius dum templa Sacerdos
Rite colet: vestri semper referentur honores,
Semper vestra fides nostris celebrabitur aris.
Quis tibi tũc anim⁹, quæ sancto in corde voluptas
O genitrix, cum muta tuis famulantia cunis,
Ac circum de more sacros referentia ritus
Adspiceres domino genua inclinare potenti,
Et sua commotum trahere ad spectacula cœlum?
Magne pater, quæ tanta rudeis prudentia sensus
Leniit! informi tantos quis pectore motus
Exciuit calor, & pecudum in præcordia venit?
Vt quem non reges, non accepere tot vrbes,
Non populi, quibus vna aras, & sacra tueri
Cura fuit: iam bos torpens, iam segnis asellus
Autorem late, possessoremque salutent?
Vocibus interea sensim puerilibus heros
Excitus, somnum expulerat, noctemque fugarat
Ex oculis, iamque infantem videt, & videt ipsam
Maiorem adspectu, maiori & lumine matrem,
Fulgentem, nec quoquam oculos, aut ora mouentẽ,
Sublimemque solo superum cingente caterua
Aligera. Qualis nostrum cum tendit in orbem,

Purpureis rutilat pennis nitidissima Phœnix:
Quam varie circum volucres comitantur euntem
Illa volans, Solem natiuo prouocat auro
Fulua caput, caudam & roseis interlita punctis
Cæruleam. stupet ipsa cohors: plausuque sonoro
Per sudum strepit innumeris exercitus alis
Miratur lucem insolitum: miratur ouanteis
Cœlicolum cantus senior. tum victus, & amens,
Adtonitusque animi, tantisq; ardoribus impar
Corruit, & geminas vultum demisit in vlnas:
Adfususque diu telluri immobilis hæsit.
Hic illum superi iuxta videre iacentem.
Vidit Dia parens, nec longum passa senileis
Obduci tenebris oculos dat surgere, & ægrum
Sustentare genu, tremulisque insistere plantis,
Diuinosque pati vultus, superique nitorem
Ignis, & æthereas vibrantia lumina flammas.
Ille vbi paulatim vireis, animumq; resumpsit,
Nodoso incumbens baculo, modulantia primum
Agmina, reginamque deum de more salutat.
Mox ipsum adcedens præsepe, vluaque palustri
Impositum spectans dominum tærreque, marisque
(O timor, o mentis pietas) puerilia membra
Non ausus tractare manu, cunctatur. ibi auram
Insperatam auram diuino efflantis ab ore
Ore trahens, subito correptus numinis haustu
Adflatusque deo, sic tandem voce quieta
Incipit, & lacrymis oculos subfundit obortis:
Sancte puer, non te Phariis operosa columnis
Atria, non variata Phrygum velamina textu
Excepere (inces nullo spectabilis auro)

Angustum sed vix stabulum, male commoda sedes
Et fragiles calami, lectaque paludibus herba
Fortuitum dant ecce torum. laqueata tyrannos
Tecta, & regifico capiant aulaa paratus.
Te pater aterno superum ditauit honore
Illustrans: tibi siderei domus aurea cœli
Plaudit, inextinctosque parat natura triumphos.
Et tamen hanc sedem reges, , hac vndique magni
Antra petent populi: longe quos carula Calpe
Littore ab occiduo, nigrisque impellet ab Indis
Sol oriens, quos & Boreas, & feruidus Auster
Diuerso inter se certantes cardine mittent.
Tu pastor, tu dispersas reuocare per agros
Missus oueis late, pectusque obferre periclis,
Prodigus ah nimium vita, per tela, per hostes
Obscurum nemus irrumpens, rabida ora luporum
Compesces, saturumque gregem sub tecta reduces.
O mihi certa fides superum, decus addite terris,
Nate deo, deus ipse, aterno è lumine lumen:
Te te ego, te circum genitrix, lętique ministri
Concinimus, primique tuos celebramus honores.
Longaque perpetuis indicimus Orgia fastis.

LIBER TERTIVS.

AVratum interea culmen bipatentis olympi
Conscendit genitor, rerũ inuiolata potestas,
Lata fouens tacito sub pectore: mox iubet omneis
Ad sese acciri superos, quique atria longe

Obſeruat, quiq; arcanis penetralibus adſtant,
Præterea quos Eoos Aurora per ortus,
Et quos occiduæ propior videt Heſperus oræ.
Nanque ferunt olim leges cum conderet æquas
Rex ſuperum, & valido mundum ſuſpenderet axe,
Diuerſas ſtatuiſſe domos, diuerſaque diuis
Hoſpitia, & dignos meritis tribuiſſe penateis
Ordine cuique ſuos. Illi data tecta frequentat:
Armaque, & aratis adfigunt nomina valuis.
Haud mora fit: celerant iuſſi: volat æthere toto
Cœlicolum glomerata manus pars igne coruſco
Tota rubens pars ſtelliferis innexa coronis.
Ipſe ſedens, humeris clamydem fulgentibus aptat
Ingentem, & cœlum pariter, terraſque, tegentem.
Quã quondã (vt perhibẽt) vigilãs nocteisq;, dieſq;,
Ipſa ſuo neuit rerum natura Tonanti:
Adiecitque, ſacræ decus admirabile telæ,
Per medium, perque extremas ſubtegminis oras
Immortale aurũ intexens, grandeisq; ſmaragdos.
Illic nam varia mundum diſtinxerat arte
Gnara operum mater, certiſq; elementa figuris,
Et rerum ſpecies, animasq; & quicquid ab aſtra
Fundit mente pater. Generis primordia noſtri,
Cernere erat limum informem. iam præpete penna
Deferri volucreis liquidum per inane videres:
Iam ſyluis errare feras; pontumque natari
Piſcibus, & vero credas ſpumeſcere fluctu.
Hic poſtquam aligeros gemmata ſedilia cœtus
Accepere, pater ſolio ſic infit ab alto:
Aetherei proceres (neque enim ignoratis et auſus
Infandos, dirumque acies ſuper aſtra frementeis)

Si mecum iuuat antiquos ab origine motus
Inspicere, & veterum pariter meminisse laborum
Quandoquidem hæc vobis peperit victoria laudē:
Huc animos, huc pacatas aduertite menteis.
Vos, cum omne arderet cœlum seruilibus armis,
Arctounque, furor pertenderet impius axem
Scandere, & in gelidos regnum transferre Triones,
Fida manus mecum mansistis: & vltima tandem
Experti, cœlo victricia signa tulistis:
Aeternumque, alta fixistis in arce trophæum.
Quos ego pro meritis insigni munere palmæ.
Donaui: regnique in partem, operumque, recepi:
Præcipuosque habui; lectosq; ad iussa ministros:
Vsque adeo fixa antiqui stat gratia facti.
Nec minus & nostras audistis sæpe querelas,
Vidistisq; graueis flammati pectoris æstus.
Tunc cum prima nouas egit dementia genteis
Arboris auricomæ cœlestia carpere poma:
Poma graui seros gustu læsura nepotes.
Munere quin superum indignas spoliatis, et vmbra
Sacrorum late nemorum: adsiduoq; labore
Multastis miseras, vitæ & breuioribus annis.
Quid repetam veteri sumptas de crimine pœnas?
Exiliumq; informe Erebi, tenebrasq; repostas?
Quæ tacito mecum spectastis lumine: & ijdem
Terrarum sortem mœsti indoluistis acerbam.
Aut etiam vt nostri longo post tempore tandem
Pectoris indomitas clementia vicerit iras:
Visq; arcana leueis sensim demissa per auras
Fœcundam intacta complerit Virginis aluum?
An temere hoc, nullaque auctum ratione putatis?

Quippe ita mansuras decuit me ponere leges:
Quò terraque, polusque homines, diuique vicissim
Fœderibus starent certis, & pignore tanto
Seruarent memorem cognatæ stirpis amorem.
Quare agite, & iam nuc humana capessite fata:
Ac primum duris parui sub cautibus antri
Gramineos lustrate toros: lustrate beatum
Pauperibus sedem calamis: cunctique recentes
Sub missi cunas adcedite, dum pia mater
Complexu in molli natum fouet, vbera pernox
Indulgens teneris pueri rorantia labris.
Nec procul in stipula demisso pectore mutum
Procumbit pecus: & domini vestigia lambens
Peruigilat, longos fundit dum tibia cantus.
Hic faustos ortus pueri, noctemque verendam
Discursu per inane leui passimque canoris
Laudibus excipite, & plausu celebrate fauentes
Omnia felicem ventura in secula pacem,
Certatimque renascentis cunabula mundi,
Victũ anguem, victumq; anguis furiale venenum.
Sic placitum, sic auersos coniungere terris
Cœlicolas: sic ferre homines ad sidera certum est.
Hæc vbi dicta: nouum superis inspirat amorẽ:
Quo subito veteres deponant pectoris iras,
Obliti scelerum: patrisque exempla secuti,
Terrarum flagrent studio, & mortalia curent,
Nec mora: Lætitiam choreis tum forte vacantem
Aduocat (hæc magni motusq; animosque Tonantis
Temperat, & vultum discussa nube serenat)
Lætitiam, quæ cœlicolum per limina semper
Discursat, raroque imas petit hospita terras:

Cura-

Curarumque expres, lachrymasque exosa virago
Exultat, totoque abigit suspiria cœlo.
Vt stetit ante patrem, terrasque adcedere iussa est:
Mobilibus pictas humeris adcommodat alas,
Lenimenque viæ comites vocat. Ilicet adsunt
Iucenda visu facies Cantusque Chorique,
Gaudiaque, Plaususque, & honestis ignibus ardẽs
Rectus Amor: quẽ nuda Fides, Spesq; inscia luctus
Vadentem, mira vnanimes pietate sorores
Obseruant. Sequitur mox inculpata Voluptas,
Gratiaque, & niueam suadens Concordia pacem.
Cumque propinquasset portæ quæ maxima cœlo
Dicitur, æternumque micat radiata coruscis
Astrorum signis: quando mortalibus ægris
Dant nimbos aliæ, & damnant caligine terras:
Subcinctæ occurrunt Horæ properantibus alis:
Insomnes Horæ: namque hic fulgentia diuum
Lamina, & ingentis custodia credita cœli.
Protinus gratos impulso cardine posteis
Cum sonitu, magnoque polos quassante fragore
Præpandunt obnixæ humeris. Volat illa per auras
Obscura sub nocte nitens, gratantur eunti
Sidera, iam festas meditatur Luna choreas:
Exultant Hyades: gaudet mutata Bootes
Plaustra auro, totosque auro fulgere iuuencos.
Tunc primum visa est, miseri post fata parentis,
Risisse Erigone, & longum posuisse dolorem:
Armatoque ensis subducitur Orioni.
Vt vero vmbrosis posuit vestigia syluis,
Culmina conscendit pastorum: atque omnia lato
Perlustrans tacitis oculis loca, concutit alas.

Adplaudens: pictosq; sinus sub nocte coruscans,
Subrisit latum, puraque in luce refulsit:
Primi illam sensere canes: sensere tacentes
Hœdorum passim per dura cubilia matres:
Balatumque ouium valles sonuere propinqua,
Saxaque, & adtoniti caput erexere magistri.
Tunc ait: O parui vigiles gregis, o bona pubes
Syluarum superis gratum genus, ite beati
Pastores; ite antra nouis intendite sertis;
Reginam ad cunas, positumq; in stramine regem
(Certa fides) alti iam iam moderator olympi
Cernere dat. properate: nouique tepentia lactis
Munera, cunq; suo date condita subere mella:
Insuetum & syluis stipula deducite carmen.
Nec plura effata, in nubeis taciturna recessit:
Et penitus nigra noctis se condidit umbra.
Olli inter sese vario sermone volutant.
Quid superũ mandata velint, quas quærere cunas,
Quos iubeant reges, quæ cingere frondibus antra.
Continuos varijs innectunt tempora ramis:
Nectitur & lentiscus, opacaque arbutus vmbra,
Rosq; maris, buxusq;, & densa comas terebinthus:
Cunctaque frondenti redimitur turba corona.
Mox syluam exquirunt omnem: saltusque repostos
Flammiferis lustrant tedis. Ardere putares
Arua procul, totumque incendi lumine montem.
Tandem inter dumos fessi, sub rupe cauata
Speluncam adspiciunt: vocemq; rudentis aselli
Auribus accepere. Vident ipsumque, bouemque,
Longæuũq; senem, stantemq; ad lumina matrem
Insomnem, & pressis refouentem pignus in vlnis.

Ergo

Ergo insperata gauisi munere sortis,
Ocyus ingentem procero stipite laurum,
Auulsamque solo palmam ab radicibus imis
Adtollunt humeris: perque interualla canentes
Cum plausu, choreisq;, & multisono modulatu
Vestibuli ante aditum statuunt: omnemq; coronãt
Fronde locum: grandeis oleas, cedrosq; comanteis
Adfigunt. longisq; aduelant limina sertis:
Et late Idaliam spargunt cum baccare myrtum.
Quos bonus ex antro dictis adgressus amicis
Compellat senior: placidaq; hac voce profatur:
Dicite pastores (neque enim sine numine, credo,
Tam certum tenuistis iter) cui tanta paratis
Munera? cui virideis ramis frondentibus vmbras
Texitis? an ne aliquis superũ patre missus ab alto
Has docuit sedeis, locaque hæc adcedere iussit?
Sic memorans, sese lætum venientibus obfert:
Illi autem: Noua per tenebras, noua lucis imago
O genitor, media visa est modo lumina sylua
Spargere, & in nostras diffundere gaudia menteis:
Siue deus cœlo veniens, seu forte deorum
Nuntius, in dubio est: nos vultũ, habitũq; loquẽtis
Vidimus: & motas per noctem audiuimus alas
Sic fati, iungunt dextras: mox ordine longo
Antrum introgressi, calathis syluestria plenis
Dona ferunt: matrem & læto simul ore salutant.
Tum puero adstantes Lycidas, & maximus Aegõ,
Aegon, Getulis centum cui pascua campis,
Centeni per rura greges Massyla vagantur:
Ipse caput late, quà Bagrada, quà vagus errat
Triton, Cinyphia quà deuoluuntur arena,

Ingens agricolis, ingens pastoribus Aegon.
At Lycidas vix vrbe sua, vix colle propinquo
Cognitus; æquoreas carmen deflexit ad vndas:
Et tamen hi non voce pares, non viribus equis,
Inter adorantum rhoreas, plaususque deorum
Rustica septena modulantur carmina canna.
¶Hoc erat alme puer, patrijs quod noster in antris
Tityrus adtrita spreuit rude carmen auena.
Et cecinit dignas Romano Consule syluas.
Vltima Cumęi venit iam carminis ætas:
Magna per exactos renouantur secula cursus.
Scilicet hæc Virgo est, hæc sunt Saturnia regna,
Hæc noua progenies cœlo descendit ab alto,
Progenies, per quam toto gens aurea mundo
Surget, & in medijs palmes florebit aristis
Qua duce, siqua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita perpetua soluent formidine terras:
Et vetitum magni pandetur limen olympi:
Occidet & serpens, miseros quæ prima parenteis
Elusit. portentificis imbuta venenis.
Tune deum vitam accipies? diuisque videbis
Permistos heroas, & ipse videberis illis?
Pacatumque reges patrijs virtutibus orbem?
Adspice felici diffusum lumine cœlum,
Camposque, fluuiosq; ipsasqne in montibus herbas.
Adspice venturo lætentur vt omnia seclo.
Ipsæ lacte domum referent distenta ccpellæ
Vbera: nec magnos metuent armenta leones:
Agnaque per gladios ibit secura nocenteis:
Bisque superfusos seruabit tincta rubores.
Interea tibi parue puer munuscula prima

Contin-

Contingent, ederæque, intermiſtique eorymbi.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella:
Mella dabunt quercus: omnis feret omnia tellus,
At poſtquam firmata virum te fecerit ætas,
Et tua iam totum noteſcent facta per orbem:
Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos Heroas: erunt et iam altera bella:
Atque ingens Stygias ibis prædator ad vndas.
Incipe parue puer riſu cognoſcere matrem,
Chara dei ſoboles, magnum cœli incrementum.
Talia dum referunt paſtores: cuia longe
Reſponſant nemora: & voces ad ſidera iactant
Intonſi montes: ipſæ per confraga rupes,
Ipſa ſonant arbuſta: Deus deus ille Menalca.
Hic ſubito magnum viſi per inane volatus
Cœleſtum, curſusque alacres, alacresque recurſus
Audítæque procul voces, ſonituſque rotarum.
Scilicet innocuis per ſudum exercitus armis
Ibat ouans, diuiſæ acies, terna agmina ternis
Inſtructa ordinibus belli ſimulacra ciebant.
Ter clypeis iam credenteis inuadere nubeis
Adſpiceres: vacuas ter mittere tela per auras,
Ter clamare ducem: mox diſſita cogere ſigna,
Atque vnam lætæ faciem præferre phalangis:
Rurſus & aerios percurrere milite campos:
Semotosque alios conſtanti incedere paſſu
Nubila per, lataſque vias: & iungere nexu
Brachia, perpetuis quatientes montibus alas,
Geſtanteſque manu noſtræ argumenta ſalutis,
Spinasque, clauosq; horrenti & vimine faſceis.

Hæsuramque hastam lateri, medicataq; felle
Pocula, sublimemq; crucem, immanemq; columnā
Ibant, & dulci mulcebant æthera cantu.
Innumeras alij laudes, & magna parentis
Facta canunt: vt prima noui fundauerit orbis
Mœnia, telluremque vagis disclúserit vndis:
Vt passim varios cœlo suspenderit igneis,
Lunamque stellasque: vt magni lumina Solis,
Iam late extremo tenebris Oriente fugatis,
Protulerit. Tu belligeras metuende coborteis
Deijcis, exturbasque polo: tu fulmine quassas
Cum duce signa suo, nigroque inuóluis Auerno,
Cocytumque iubes, tristeisque habitare lacunas.
Te gemini cecinere axes, te maxima tellus
Victorem cecinit vastis cum fluctibus æquor.
Nec te hominum fraudes, non auertere nefanda
Crimina: sed læto spectas mortalia vultu:
Dignatasque tuo solaris numine terras.
Salue magne opifex cœli, rex maxime diuum,
Terrarumq; hominumq; salus: quē sidera, quē sol,
Quē metuūt reges tenebrarū, & Tartarus ingens:
Cui late humanum seruit genus: omnia solus
Qui regis: omnia amas pariter, tibi nomina mille,
Mille potestatum, regnorum insignia mille.
Salue auctor: salue immensi dominator olympi:
Et nobis felix, terrisque labantibus adsis.
Ingeminant plausum nubes: lateque per auras
Discursat vox: & cœli conuexa resultant.
Herboso tum forte toro. vndisonisque sub antris
Venturus tacito voluebat pectore sorteis
Cæruleus rex, humentum generator aquarum

Iordanes, quem iuxta hilari famulantia vultu
Agmina densentur nata pulcherrima Glauce,
Dotoque, Protoque, Galenaq; Lamprothoeque,
Nuda humero, nudis discincta veste papillis:
Calliroe, Byroque Pherusaque, Dinameneque,
Asphaltisque adsueta leueis fluitare per undas:
Ipsaque odoratis perfusa liquoribus Anthis,
Anthis, qua non vlla nouos miscere colores
Doctior, aut pictis caput exornare coronis.
Mox Hyale, atq; Thoe, et vultu nitidissima crene,
Congisteque, Rhoeque, & candida Limnoria,
Et Dryope, & virideis Botane resoluta capillos:
Ore omnes formosa, albis in vestibus omnes,
Omnes puniceis euincta crura cothurnis,
Ipse antro medius, pronaque adcliuis in vrna
Fundit aquas, nitet vrna nouis variata figuris
Crystallo ex alba, & puro perlucida vitro,
Egregium decus, & superum mirabile donum.
Vmbrosis hic sylua comis, densisque virebat
Arboribus. cerui passim, capreaque fugaces
Aestiuum viridi captabant frigus in vmbra.
In medio, auratis effulgens fluctibus amnis
Errabat campo, & cursu lata arua secabat.
Hic iuuenis fuluis velatus corpora setis
Stans celso in scopulo, regem, dominumq; deorum
Vorticibus rapidis, medioque in fonte lauabat.
At viridi in ripa lecti de more ministri
Subcincti expectant: pronisque in flumina palmis
Protendunt niueas cœlestia lintea vesteis.
Ipse pater cœlo late manifesta sereno
Signa dabat, natoque leuem per inane columbam.

In

Insigem radijs mittebat, & igne corusco.
Adtonitæ circum venerantur numina nymphæ:
Et fluuius refugas ad fontem conuocat vndas.
Talia cælata genitor dum spectat in vrna
Fatorum ignarus, oculosque ad singula voluit
Admirans: videt insolitos erumpere fonteis,
Ingentemque vndare domũ cauaque antra repleri
Fluctibus, atque nouum latices sumpsisse saporem.
Dumq; hæret, pauitatq; simul, dũ sublevat vndis
Muscosum caput, & taurino cornua vultu:
Adspicit insuetas late florescere ripas,
Claraq; per densas discurrere lumina syluas
Pastorum ludo: & lætos ad sidera cantus,
Diuinasque audit voces, & numina passim
Aduenisse deum testantia. protinus ambas
Ad cœlum palmas hilaris cum voce tetendit:
O maris, o terræ, diuumq; hominumq; repertor,
Quis tua vel magno decreta incognita cœlo
Detulit huc audax, medijsq; abscondit in vndis?
Ipse mihi hæc quondam (memini) dum talia mecũ
Sæpe agitat, repetitque volens, narrare solebat
Cæruleus Proteus: mendax si cætera Proteus,
Non tamen hoc vanas effudit carmine voces.
Adueniet tibi Iordanes properantibus annis,
Adueniet, mihi crede, inquit: certissima cœlum
Siga dedit: nec me delusum oracula fallunt:
Qui te olim Nili supra septemplicis ortus,
Supra Indum, & Gangẽ, fontemq; binominis istri
Adtollet fama: quite Tiberique, Padoque
Præferet, atque tuos astris æquabit honores.
Cuius in aduentu tristes discedere morbi

Corpo-

Corporibus passim incipient. iam victa repentè
Cessabit, turpeis squamas, maculasque remittet
Dira luces: laceroſque elephas effuſus in artus,
Vlcera ſanguineo ſiſtet manantia tabo.
Quin & letales (dictu mirabilè) febres
Diffugient iuſſæ, poſſeſſaque membra relinquent:
Cedet & infeſta violentior ira Dianæ:
Ira nocens quæ fulminea velut icta ruina,
Corpora cum gemitu ad terram proſternit, & ignis
Interdum, nunc perdere aqua (miſerabile viſu)
Feſtinat: Stygio nimirum armata veneno
Exuperat vis, & ſpumas agit ore tumenteis.
Nec iam vltra longo vireis minuente veterno,
Tabificus per operta impune vagabitur hydrops
Exitio obrepens miſerorum, atque omnia latè
Viſcera per varios perdet tumefacta dolores.
Non alias vinctæ tam crebra ſilentia linguæ
Abrumpent: noctem aut toties, tenebraſq; priores
Excutient oculi, qui nunquam ſidera, nunquam
Ardentem magni viderunt lampada Solis.
Multa quidem maiora fide, ſed vera, ſed ipſos
Quæ teneant ſpectantum oculos, poſſum ore referre
Sed propero: ventura tamen mirabitur ætas.
Cernere erit, claudos paſſim genua ægra trahẽtes
Firmato ſubitos extendere poplite greſſus
Tum neruis labefacta, diuque trementia mẽbra
(Quis credat niſi, certa meus mihi cãtet Apollo?)
Reſtringi & validas cum robore ſumere vireis;
Atque alius rapto iuſſus conſurgere lecto,
Haud mora, proſiliet: paſſumque in templa citato,
Contendens, onus ipſe humeris portabit. Ibi ingẽs

Clamor, & innumera circum donaria voces
Spectantis populi, & rerum nouitate pauentis.
Parte alia extintam penitus, ſenſuq; carentem
Ad ſua iam cernes reuocari munera dextram.
Nec minus & tacta compeſci veſte cruorem
Fœmineum: exangueisque artus, pallentiaque ora
Ilicet obſtructis calefacta rubeſcere venis.
Ipſas quin etiam furias ſub Tartara pelli,
Immaneis Erebi furias: tum foſſa leuari
Pectora, vexatosque malis cruciatibus artus:
Hinc vacuas late impleri ſtridoribus auras
Dirarum fruſtra clamantum ac ſæua trementum
Verbera, perq; cauas conantum euadere nubeis.
Iam deploratis vitam poſt funera reddi
Corporibus video, iam mœſtam incedere pompam:
Feralemque anteire tubam: mox gaudia matrum
Inſperata, patrumque hilares verſo ordine fletus,
Et circunfuſam populis lætantibus vrbem.
Huic tu nutanteis quoties adſurgere monteis
Et (mirum) inſuetas curuare cacumina ſyluas
Adſpicies? Quoties humenti in gramine ripæ
Aut ſolantem æſtus, aut leneis pectore ſomnos
Carpentem, tenui adſueſces mulcere ſuſurro?
Macte tuis merito ripis, macte omnibus vndis.
Ad te depoſito properabunt numina faſtu:
Nudabuntq; ſacros artus, & carmina dicent
Ad numerum: cum tu felix iam flumine ſancto
Autorem rerum, diuumq;, hominumq; parentem
(Tantus honos, laus tanta, tuo Rex maxime, fonti)
Exutum veſte eccipies: atque hoſpite tanto
Adtonitus trepidas hortabere voce Napæas:

Ite cita, date thura pias adolenda per aras
Cærulæa comites: viridique sedilia musco
Instruite: & vitreis suspendite serta columnis:
Purpureas miscete rosas, miscete hyacinthos,
Liliaque: & pulchro regem conspergite nimbo.
Tunc nomen late clarum Iordanis ad auras
Attollent montes. Iordanem maxima circum
Aequora Iordanem sylvæque, amnesq; sonabunt.
Illa autem humanis quamuis latura ruinis
Auxilium finemq; dies, gratissima quamuis
Vrbibus adueniat, totumque optanda per orbem
Fluminibus tamen, & nostris felicior vndis
(Siqua fides; siqua est veri prudentia Proteo)
Ostendet roseos stellis ridentibus ortus:
Quandoquidem non diuitias, non quæret honores?
Ille patris decus, ac virtus, mortalia postquam
Mẽbra sibi, & fragileis iã sponte induxerit artus:
Non sceptrum inuadet Cypri: non Caspia regna
Diripiet: non exuuijs Babylona superbam
Eruet: aut alto scandet Capitolia curru.
Militibus circum, & lato comitante senatu:
Sed maris vndisoni tractus, & littora longe
Curua sequens, media socios sibi quæret in acta:
Dispersosque mari nautas, nudosque colonos.
Vndarum sinuosa fretis iactare parenteis
Retia, vexatas autiam reparare sagenas
Sollicitos, patris ad solium, ac sua tecta vocabit,
Atque ollis ius omne, potestatemque medendi
Adijciet: pallent morbos, denteisque retundent
Vipereos, Orcique acies, ac monstra fugabunt.
Quin & custodes foribus radiantis olympi

Præficiet seruare aditus, & claustra iubebit
Aurea: queis non ulla queat vis sæua nocere
Eumenidum, duriq; umbrarum obsistere potes.
Tum sedes passim emeritis duodena per astra
Instituet: distincta suos de more sequetur
Turba duces. illi leges, & sancta vocatis
Iura dabunt. plausu sociorum, atq; agmine læti.
Felices qui iam cymba, remisque relictis
Alta serenati conscendent culmina cœli.
Præterea (si certa fides; nec vana futuri
Gaudia) cognatas etiam spectabimus undas.
Lenæos verti in latices. Ea prima deum rex
Arcana hos primos per signa ostendet honores
Accepti latè imperij. mirabitur auctus
Lympha suos, iussa insuetum spumare capaceis
Per pateras, largeque nouum diffundere nectar,
Et mensas hilalare, & feliceis hymenæos.
Nec semel ille altum remis euectus in æquor
Cum iam frustrato socios rediisse labore
Accipiet; præda ingenti ditabit, & udos
Squamigerum strata cumulos exponet in alga.
Iratos etiam fluctus tumidasque procellas:
Miscenteisque imo turbatam gurgite arenam,
Iamque superiecto mersuras æquore puppim,
Imperio premet increpitans. cadet arduus undæ
Impetus atque audisse minantis iussa putares
Eurosque Zephirosq;, & ouanteis turbine Coros
Quid loquar, vt gemino numerosas pisce cateruas
Munere & exiguo Cereris, miserabile vulgus,
Matres, atque viros pariter per gramina pascet:
Vt iam bis senis redeant fragmenta canistris?

Aut

Aut intempesta gradiens vt nocte per altum
Libera substrato ponet vestigia ponto:
Vixq; vndas sicco tanget pede? scilicet olli
Adnabunt blandæ Nereides. humida passim
Sternent se freta: tum fundo Neptunus ab imo
Excitus, Agnoscet dominum: positoque tridente
Cum Phorco, Claucoque, & semifero comitatu
Prosiliet, trepidusque sacris dabit oscula plantis.
Sed quid ego exili vectus super alta phaselo
Cuncta sequor memorans? non si Parnassia Musæ
Antra mihi: sacrosque aditus atque aurea pandāt
Limina, sufficiam. non si mihi ferrea centum
Ora sonent, centuque aurato è gutture linguæ
Vocibus expument agitantem pectora Phœum:
Laudatos valeam venturi principis actus
Enumerare, nouoq; amplecti singula cantu
Hæc senior quondam felici pectore Proteus
Vaticinans (vt forte meo diuerterat antro)
Præmonuit nunc euentus stet signa futuri
Expectare. Nitor roseo sed fulsit ab ortu
Clarior: & radijs dux præuia matutinis
Oceani procul extremo se littore tollit
Exoriens Aurora: sinusque induta rubenteis,
Ante diem citat auricomos ad fræna iugaleis.
Et iam consuetis tempus me currere ripis
Vndantem, magnosque lacus, & prata secantem
Vorticibus. Viden' vt nostros agit impetus amneis?
Iordanemq; vocat tumidarum murmur aquarū?
Sic fatus, confestim humeris circundat amictus
Insolitos: quos pulcræ vdis neuere sub antris
Naiades, molli ducentes stamina musco,

 Sido

Sidonioq; rudeis ſaturantes murice telas,
Aurea conſperſo variarunt ſidera limbo:
Atque ita ſe tandem currenti reddidit alueo
Spumeus, & motas aſpergine miſcuit vndas.
Hactenus ô ſuperi partus tentaſſe verendos
Sit ſatis. optatam poſcit me dulcis ad vmbram
Pauſilypus, poſcunt Neptunia littora, & vdi
Tritones. Nereusq; ſenex, Panopeq;, Ephyreq;,
Et Melite: quæq; in primis mihi grata miniſtrat
Ocia, Muſarumq; cauas per ſaxa latebras,
Mergillina: nouos fundunt vbi citria flores,
Citria Medorum ſacros referentia lucos:
Et mihi non ſolita nectit de fronde coronam.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII DE MORTE CHRISTI

Domini ad mortales lamentatio.

SI quando magnum mirati surgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cœlo:
Certatimq; suo terras ambire meatu
Noctiuagam Phœben præcinctam cornibus aureis
Aeternisq; astrorum igneis, cœliq; micanteis
Scintillare oculos: aliquem dare iura putastis,
Atq; polo regnare hominum, rerumq; parentem,
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus æther,
Cuncta supercilio qui temperet: hunc simul ægri
Mortales (si vestra dolor præcordia tangit)
Aspicite immiti traiectum pectora ferro,
Pectora, fœdatasq; manus, perfusaq; tabo
Ora, cruentatumq; caput, crineisq; reuulsos
Aspicite, & plenos lacrymarum fundite riuos.
Heu scelus, heu crudele nefas: iacet altus olympi
Rector: & amisso torpent elementa magistro.

Quin etiam vacuum assueto sine pondere cœlum
Nutat, & ipsa suum quærunt solia aurea regem:
Quem diuersa procul flauo cum crimine tellus
Ignotum populis caput, & miserabile corpus
Sustinet, exangueisq; sinu complectitur artus,
Et tremefacta, graueis testatur murmure questus,
Testatur Sol ipse suum sub nube dolorem
Iam latitans, atraq; notans ferrugine frontem.
Tu quoq; deformeisque genas, pallentiaq; ora
Contegis, inferiasq; tuo das Luna Tonanti,
Auratum flauo tondens de vertice crinem,
Et lacrymas vda fundens in nocte tepenteis.
Nec minus abruptis fama est exisse sepulchris,
Perque vias errasse nouis simulacra figuris:
Excitasque vmbras, medias vlulasse per vrbeis
Sub noctem, & notos questu impleuisse penateis.
Quid? non & pelagi rabies attollere fluctus
Immaneis visa est? monteisque euoluere aquarũ.
Deiectura vrbeis, terrasque haustura profundo?
Cum simul & caput vndisonis emersus ab antris
Cæruleus Triton, rauco super æquora cornu
Constreperet, nautasque horrenda voce moneret
Naturæ cecidisse patrem, regemque, deumq;.
Hæne manus vasti iunxerunt fœdera mundi?
Harũ opus est, quodcunq; iacet, quodcunq; mouet?
Quicquid vbiq; parens rerum Natura gubernat,
Frugiferens tellus, fœtumque animãtibus æquor,
Vitalisque aer, atque ignibus æthra coruscis?
Et nunc (proh facinus, quantum potuere nocentum
Flagitia?) immensis dant peruia vulnera clauis,
Liuenteisque atro fœdant squallore lacertos.

Heu

Heu caput indignum ſpinis, venerandaque cœlo,
Et toties clara ſtellarum impexa corona
Cæſaries: heu pectus hians: conuulſaque dira
Barba manu: tunſique artus: & frigida membra.
Vos ne pedes cœlum premere, & vaga ſidera ſueti,
Fulgenteiſque domos ſuperum, ſublimia tecta,
Tam ſęuæ immaneis perpeſſi cuſpidis ictus,
Et terram, & duras ſparſiſtis ſanguine cauteis?
Nec trepidat mens cęca hominũ? Quæ tanta tenaci
Durities in corde riget? num nigra videtis
Tartara, tot claris hominum viduata trophæis,
Deſertaſque in nocte domos, & triſtia regna?
Feliceiſque animas lætum Pæana canenteis
Pone ſequi regem, & cœlo inſediſſe ſereno?
Quid ſi non tantos ſubijſſet ſponte labores,
Humanamque ſua penſaſſet morte ſalutem
Ille ſator rerum, & ſummi mens certa parentis,
Qui nutu ingenteis mundi moderatur habenas?
Vt tandem intactos picea Phlegethontis ab vnda
Poſt obitum æternæ donaret munere lucis,
In partemque ſuorum operum regnique vocaret:
Tantus amor generis ſeruandi, & gloria noſtri.
Quare agite, ex animis mortales pellite veſtris,
Si quid adhuc manet antiqua de ſorde relictum
Mendaceiſque deos, & deteſtanda priorum
Sacra profanatis tandem detrudite ab aris.
Imbuat effuſo terram nec ſanguine taurus:
Nec miſer ille ſuæ diuulſus ab vbere matris
Ignotus agnus balet ſuper hoſtia cultros.
Viuat ouis, viuat quicquid ſub ſole creatum eſt.
Mentẽ, animũque duo, nõ thura, aut exta parate

Has illi pecudum fibras, hæc reddite dona.
Cernitis, vt pronum flectat caput? vt pia pandat
Brachia? & ingratas vocet ad sua vulnera gēteis?
Oblitasq; viæ moneat meminisse relictæ,
Scilicet amplexus non reiecturus amicos?
At vos obtusas ignari auertitis aureis,
Infelix genus, & sæuæ ludibria mortis:
Nec, quanta à tergo iam instent tormēta, videtis.
Tempus erit cum vestra illū commissa notantem,
Multantemq; reos, altaq; in nube sedentem
Aspicietis: & horrenteis tremor opprimet artus.
Nec iam ferre oculos flammarum ardore coruscos
Aut timidos acie vultus contendere contra
Audebit quisquam sibi conscius. Ibit in igneis
Turba nocens: sonteisq; exoluet corpore pœnas:
Pallenteisq; æternum amneis, vastasq; lacunas
Cocyti colet: & furias horrescet hianteis:
Atque animum monitis non intendisse pigebit.
Tunc vos exactæ capient mala tædia vitæ
Experteis cœli, atque auræ sub nocte profunda:
Inq; caput trifidos nequicquam optabitis igneis:
Et frustra erectas tolletis ad æthera palmas.
Quos superum cœtus, & fortunata piorum
Agmina vix lacrymis poterunt spectare retentis,
Inuidiæ stimulis, dirisque vltricibus actos.
Ergo vitaleis miseri dum carpitis auras,
Dum compos mens ipsa sui est, dum certa facultas
Dum ratio, tempusq; sinunt: simul ite frequentes,
Ite pij, veniam factis exposcire vestris:
Ite, animos purgate, Orcique inhibete rapinas:
Et tandem patrio mentem conuertite cœlo.

Sic

Sic rex ille hominum vacui ſpoliator Auerni,
Oblitus ſcelerum, cognatæ ſtirpis amore,
Promiſſique memor, menteis intrabit amicas,
Veſtraq; poſthabitis recolet præcordia templis.
Poſtque tot exhauſtos vitæq; obitusq; labores.
Illo quo pluuias, quo pellit nubila vultu,
Ablutos labe excipiet, lætusque reponet
Sidereos inter proceres, ſanctumque ſenatum,
Sub pedibusq; dabit ſtellantia cernere clauſtra.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII

ECLOGA PRIMA

PHYLLIS.

LYCIDAS, MYCON.

M*Irabar, vicina Mycon per littora nuper*
Dum vagor, expectoque leues ad pabula thynnos,
Quid tantum insuetus streperet mihi coruus,& uda
Per scopulos passim fulica ,perq; antra reposta
Tristia flebilibus complerent saxa querelis:
Cum iam nec curuus resiliret ab æquore delphin,
Nec solitos de more choros induceret vndis.
Ecce dies aderat,charam qua Phyllida terra
Condidimus, tumuloque pias defleuimus vmbras
Ah miseri:& posthac,nec tristes linquimus auras
Nec dubitat sæuus solatia ferre Pylemon.
MY. Scilicet id fuerat, tota quod nocte vaganti
Huc,ixuc,dum Pausilypi latus omne pererro,
Piscosamq; lego celeri Nesida phaselo:
Nescio quid queruli gemerent lacrymabile mergi.
Phyllis ad inferias, Phyllis(si credimus)illos
Ad gemitũ,ò Lycida, tumuliq; ad sacra vocabat.

LY.

LY. Eheu chare Mycon, qualis spectacula pompæ
(Nunc recolo) quas ipse manus, quæue ora notaui
His oculis: his inquam oculis quæ funera vidi
Infelix: nec me tandem dolor improbus egit
In scopulos, in saxa, rogoue absumpsit eodem
Ignea vis, vel saltem aliquis Deus æquore mersit.
MY. O Lycida Lycida: nonne hoc felicius illi
Euenisse putas, quàm si famosa Lycotæ
Antra, vel hirsuti tegetem subiisset Amyntę?
Et nunc heu viles hamo sibi quæreret escas:
Aut tenui laceras sarciret vimine nassas.
Sed tu, siquid habes veteres quod lugeat ignes,
Quod manes, cineresque diu testetur amatos:
Incipe: quandoquidem molles tibi littus arenas
Sternit & insani posuerunt murmura fluctus.
LY. Immo hæc quæ cineri nuper properata parabā
Carmina, ab extremo cum iam caua littora portu
Prospicerem, & niuei venerarer saxa sepulcri:
Incipiam. tu coniferas ad busta cupressus
Sparge manu, & viridi tu mulū superintege myrto
MY. En tibi cærulei muscū æquoris, en tibi conchas
Purpureas, necnon toto quæsita profundo,
Et vix ex imis euulsa corallia saxis
Afferimus. tu solennes nunc incipe cantus:
Incipe, dum ad solem Baianus retia Mylcon
Explicat, & madidos componit in orbe rudentes.
LY. Quos mihi nunc diuæ scopulos, quæ pāditis an-
Nereides? quas tu secreti littoris herbas (tra
Glauce pater, quę mōstriferis mihi gramina succis
Ostendes nunc Glauce? quibus tellure relicta,
Ah miser, & liquidi factus nouus incola ponti,

Te

Te sequar in medios mutato corpore fluctus,
Et feriam bifida spumantia marmora cauda.
Nam quid ego (heu) solis vitam sine Phyllide terris
Exoptem miser? aut quidnam rapta mihi luce,
Dulce putem? quid ve hic sperem? quid tam morer
Infelix? an vt hac vili protectus in alga, (vltra
Arenteis tantum frutices, desertaque cernam
Littora, & ingrato lactem mea verba sepulcro?

*

Nunc te (quis credat?) lapis hic habet: et mihi nusq̃
Nusquã terrarũ Phyllis: sed fabula, & vmbra (es,
Frustantur miseras per dira insomnia noctes:
Me miserum: qua te tandem regione requiram?
Quà ve sequar per te quondã mihi terra placebat,
Et populi, lætæque suis cum mœnibus vrbes:
Nunc iuuat immensi fines lustrare profundi.
Perque procellosas errare licentius vndas:
Tritonum immistum turbis, scopulosaque Cete
Inter, & informes horrenti corpore Phocas,
Quò nunquã terras videã. Iam iam illa tot annis
Culta mihi tellus, populique vrbesque valete:
Littora chara valete: vale simul optima Pylli.
Nos tibi, nos liquidis septem pro fluctibus aras
Ponemus: septemque tibi de more quot annis
Mostra maris magni vitulos mactabimus hirtos:
Et tibi septenis pendebunt ostrea sertis,
Ostrea muricibus variata, albisque lapillis:
Hic tibi Nisæe, & flauos resoluta capillos
Cymodoce, mutisque pia cum matre Palæmon,
Et Panope, & Siculi custos Galatea profundi
Solleneis nectent choreas, & carmina dicent:

Qua

Quæ Proteus quondam diuino pectore vates
Edocuit; magni cum funera fleret Acchillis.
Et Thedidis luctus consolaretur amaros.
At tu siue altum felix colis æthera, seu iam
Elysios inter manes, cætusque verendos
Lethæos sequeris per stagna liquentia pisces.
Seu legis æternos formoso pollice flores,
Narcissumq; crocumq; & viuaceis amaranthos,
Et violis teneras misces pallentibus algas:
Adspice nos, mitisque veni. tu numen aquarum
Semper eris, semper lætum piscantibus omen.
Vt nymphis, Nereoque vt flauicomæ Amphitrite,
Sic tibi victrices fundent libamina cymbæ.
Interea tumulo supremum hoc accipe carmen.
Carmen, quod tenui dum nectit arundine linum,
Piscator legat: & scopulo suspiret ab alto.
In gremio Phyllis recubat Sirenis amatæ,
Consurgis gemino felix Sebethe sepulcro.
MY. Dulce sonãt Lycida tua carmina: nec mihi
Halcyonũ lamẽta, aut vdo in gramine ripæ (mali
Propter aquam dulces cycnorum audire querelas
Sed tu (sic faciles vicina Megeria semper
Sufficiat conchas: sic proxima Mergilline
Ostrea, saxosæque ferat tibi rupis echinos:
Quãdoquidẽ nox obscuras iam distulit vmbras,
Necdum permensus cœlum Sol: incipe rursus,
Atq; itera mihi carmen. Habent iterata leporem.
LY. Ne miserũ ne cogæ Mycon. sat lumina, sat iam
Exhaustæ maduere genæ. dolor (adspice) siccas
Obduxit fauces: quatit & singultibus imum
Pectus: anhelantemq; animã vox ægra relinquit.

Et tamen hæc alias tibi nos, & plura canemus,
Fortasse & meliora, aderit si Musa canentis.
Quin & veliferis olim hæc spectanda carinis
Seu Prochytæ, seu Miseni sub rupe patenti
Inscribam, grandeisque notas ferrugine ducam:
Præteriens quas nauta mari percurrat ab alto?
Et dicat: Lycidas, Lycidas hæc carmina fecit.
Sed quoniam socij passim per littus ouantes
Expectant, poscuntque tuas ad retia vires:
Eia age iam surgamus. ego hæc ad busta sedebo.
Tu socios inuise: escas nam quærere tempus:
Et tibi nunc vacuæ fluitant sine pondere nassæ.

ECLOGA SECVNDA GALATEA

FOrte Lycon vatuo fessus consederat entro
Piscator, quà se scopuli de vertice lato
Ostentat pelago pulcherrima Mergilline,
Dumque alij notosque sinus, piscosaq; circum
Aequora collustrant flammis, aut linea longe
Retia, captiuosque trahunt ad littora pisces:
Ipse per obscuram meditatur carmina noctem.
Immitis Galatea: nihil te munera tandem.
Nil nostræ mouere preces? verba irrita ventis
Fudimus? & vanas scopulis impegimus vndas.
Adspice, cuncta silent: Orcas, & maxima Cete
Somnus habet: tacitæ recubant per littora Phocæ.
Nō Zephyri strepit aura: sopor suus humida mul-
Aequora: sopito conniuent sidera cœlo. (cet

Salus

Solus ego (hei misero) dum tristi pectore questus
Nocte itero, somnum tota de mente fugaui,
Nec tamen vlla meæ tangit te cura salutis.
At non Praxinoe me quondam, non Polybotæ
Filia despexit, non diuitis vxor Amyntæ,

*

Quin etiam Ænaria (si quicquam credis) ab alta
Sæpe vocor. solet ipsa meas laudare camœnas
In primis formosa Hyale: cui sanguis Iberus
Clarus auis: cui tot terræ, tot littora parent:
Quæq; vel in medijs Neptunum torreat vndis.
Sed mihi quid prosunt hæc omnia, si tibi tantum
(Quis credat Galatea?) tibi si deniq; tantum
Displiceo? si tu nostram crudelis auenam
Sola fugis? sola & nostros contemnis amores?
Ostrea Miseni pendentibus eruta saxis
Mille tibi misi: totidem sub gurgite vasto
Pausilypus, totidem vitreis Euplœa sub vndis
Seruat adhuc. plureis Nesis mihi seruat echinos,
Quos nec vere nouo folijs lentiscus amaris
Inficit, aut vacuæ tenuant dispendia Lunæ.
Præterea mihi sub pelago manus apta legendis
Muricibus: didicit Tyrios cognoscere succos:
Quoque modo plena durent conchylia testa.
Quid refugis? tingenda tibi iam lana paratur,
Qua niteas, superesq; alias Galatea puellas:
Lana maris spumis quæ mollior, hanc mihi pastor
Ipse olim, dedit hanc pastor Melisæus ab alta
Cum me forte senex audisset rupe canentem
Et dixit puer ista tuæ sint præmia Musæ,
Quandoquidem nostra cecinisti primus in acta,

Ex illo in calathis seruaui, vt mittere possem.
Sed tu(nequa mihi superet spes, nequa futuri
Conditio Galatea)manum mihi dura negasti.
Hoc est, hoc, miserum quod perdidit. ite Camœnæ,
Ite procul spreuit nostras Calatea querelas.
Scilicet exiguæ videor quod nauita cymbæ,
Quodque leues hamos, nodosaque retia tracto,
Despicis: an patrio non hoc quoque littore Glaucus
Fecerat? æquoreæ Glaucus scrutator arenæ?
Et nunc ille quidem tumidarum numen aquarum.
Sed nec quæ nimium vel me sic falsa fatigat,
Fabula te moueat Lydæ. Licet illa puellis
Iactet, nescio quas mihi se misisse corollas:
Non me Lida, tamen non impulit, æquora testor.
Nereidasque omneis si fallo, naufragus illas
Experiar, salsosque bibam sub gurgite fluctus.
Heu quid agã? externas trãs pontũ quærere terras
Iampridem est animus: quo nunquã nauita, nũquã
Piscator veniat. fors illic nostra licebit
Fata queri. Boreæ extremo damnata sub axe
Staga petam, et rigidis nunquã non cana pruinis?
An Libyæ rapidas, Austrique tepentis arenas,
Et videam nigros populos, Solemq;, propinquum?
Quid loquor infelix? an non per saxa, per ignes,
Quò me cunque pedes ducent, mens ægra sequetur?
Vitantur venti: pluuiæ vitantur, & æstus:
Non vitatur amor. mecum tumuletur oportet.
Iam saxo me me ex illo demittere in vndas
Præcipitem iubet ipse furor. Vos o mihi Nymphæ,
Vos maris vndisoni Nimphæ præstrate cadenti
Non duros obitus, sæuasq; extinguere flammas.

Scilicet

Scilicet hac olim, veniens seu littore curuo
Caietæ, seu Cumarum naualibus altis,
Dum loca transibit, raucus de puppe magister
Hortatus socios, dextrum deflectite, dicet,
In latus o socii: dextras deflectite in vndas:
Vrtemus scopulos infameis morte Lyconis.
Talia nequicquam surdas iactabat ad auras
Infelix piscator, & irrita vota fouebat:
Cum tandem extremo veniens effulsit ab ortu
Lucifer, & roseo perfundit lumine pontum.

ECLOGA TERTIA
MOPSVS.

CELADON, MOPSVS, CHROMIS, IOLAS.

DIc mihi (nam Baulis, verum si retulit Aegon,
Bis senos vos, Mopse, dies tenuere procellæ)
Quid tu, quid Chromis interea, quid vester Iolas,
Dum Notus insultat pelago dũ murmurat vnda,
Et quid desertis vacui lusistis in antris?
MOP. Quid nostræ facerẽt ingrata per ocia musæ,
O Celadon? neque tum conchas impune licebat
Per scopulos, non octipedes tentare Paguros.
Iam fragilem in sicco munibant saxa phaselum:
Raraque per longos pendebant retia remos,
Ante pedes cistæque leues, hamiq; iacebant:

Et calami, nassæque, & viminei labyrinthi.
Tum Chromis Inarimen spectans: his, inquit, ab (oris
(Abdirum exilium) nostræ soluere carinæ:
Cum regem post bella suum comitata iuuentus
Ignotis pelagi vitam committeret vndis.
Quæ tamen (vt fama est) Ligurũ per saxa, per altas
Stœchadas emicuit: Rhodanique inuecta per amnẽ
(Nã bene si memini, Rhodanũ referebat Amilcon)
Oceani madidas vidit refluentis arenas,
Et qua cæruleos procul adspicit ora Britannos,
Quà (nisi vana ferunt) quoties maris vnda resedit,
In digenæ captam nudos per littora pisces.
Ne Chromi, ne luctus renoua, respondit Iolas:
Sat tuus hæc nobis Lucrini nũper ad vndam
Narrauit Lycabas; solem se scilicet illic
Trans fluctus, trans & nubes vidisse cadentem,
Haud aliter, quam si nostris è mentibus illum
Caietæ adspiceret longe post littora ferri:
Et strepitum sensisse ruentis ab æthere currus.
Præterea mores populorum, vrbesque locosque
Exposuit, quernasque domos, & lignea tecta
Addidit & varias (heu barbara nomina) gentes:
Bellouacos, Morinosque: & quos quis dicere possit?
Tarbellos: latis errare & flumina campis:
Nescio quem Ligerim tectis se innasse carinis.
Sed mea nunc aliæ poscunt sibi pectora curę.
Tu modo si quid habes (& te quoq; Chloridis ardor
Excruciat) scopulo hoc mecum meditare vicissim.
Audiet, & gracilem percurret Mopsus auenam.
Sic illi: ast ego nil contra. sed quæ mihi collo
Garrula pendebat, manibus tũc sumpta cicuta est.

Scilicet

Scilicet alternos conabar arundine versus
Excipere, alternis nam dicere vterque parabat.
Nec mora, iam Chremis hos, hos & referebat Iolas.
CHR. *Nereides pelagi sacrũ genus, aut mihi vestris*
Munera ferte vadis, durã queis Chlorida placem:
Aut, si muneribus flecti nequit, æquore toto
Quærite, quæ nostrum sanet medicina furorem.
IOL. *Sirenes mea cura, audite hæc vltima vota;*
Aut reuocet iam Nisa suum, nec spernat Iolam.
Aut videat morientem. Hæc saxa impulsa marinis
Fluctibus, hæc misero vilis dabit alga sepulcrum.
CHR. *Qualis tranquillo quæ labitur æquore cymba,*
Cum Zephyris summæ crispantur leniter vndæ.
Tuta volat, luditque hilaris per transtra iuuentus:
Talis vita mihi, mea dum me Chloris amabat.
IOL. *Adspicis, iratæ feriant vt saxa procellæ:*
Vt validis imæ Coris turbentur arenæ.
Iam scopulis furit vnda, tremit iam terra tumultu,
Fallor, an hæc ipsa est Nisæ indigantis imago?
CHRO. *Proteu pastor liquidi maris, o pater, o rex*
(Quandoquidem insanos odistis numina fastus)
Quære Pithecusas tu, cui licet, atque superbæ
Dic Hyale, falsum te pascere monstra per æquor.
IO. *Ille habet, ille meos scopulus mihi seruat amo-*
Qui propior terræ est: illũ pete Glauce natatu: (res
Neue manus duri contemnat Nisa mariti,
Dic te squamigeras traxisse ad littora prædas.
CHR. *Est Veneri Cypros gratissima, Creta Tonãti,*
Iunonique Samos. Vulcano maxima Lemnos:
Aenariæ portus Hyale dum pulchra tenebit,
Nec Samos Aenariã vincet, nec maxima Lemnos.

IOL Gradiuus Rhodopen, & Mercurius Cyllenē,
Ortygiam Phœbe, Tritonia iactat Hymetton:
Nisa colit Prochytem: Prochytes si cōmoda norint,
Ortygiam Phœbæ, Tritonia linquet Hymetton.
CHR. Hic specus, hic rupes, texendisq; optima nas-
Vimina sunt, iunci, densaq; per auia myrtus: (sis
Si mihi nunc Pholoe, vel tantum Chloris adesset,
Quām bene pugnaces possem contemnere ventos
IOL. Nulla mihi sine te ridēt loca, displicet æquor,
Sordet terra, leues odi cum retibus hamos.
At si aderis tu Nisa, placebunt omnia: lætus
Tunc ego vel Libycis degam piscator arenis.
CH. Dat Rhōbos Sinuessa, Dicarchi littora Pagros
Herculeæ Mullum rupes, Synodontas Amalphis:
Parthenope teneris scatet ambitiosa puellis;
Quis mihi nunc alias scrutari suadeat algas?
IOL. In fluuijs Mugil versatur, Sargus in herbis.
Polypus in scopulis, medijs Melanurus in vndis:
Ante tuas mea Nisa fores ego semper oberro:
Quæ mihi det tales iucundior insula portus?
MOP. Hactenus o Celadō resonis sub rupibus illos
Inter se vario memini contendere cantu,
Horrida ventosi ridenteis murmura ponti:
Qui tamen & laudes, & munera digna tulere
Carminibus sed quæ nequeat contemnere Triton:
Hic, quam Circcio nudus sub gurgite cepi,
Natiuis concham maculis, & murice pictam:
Ille recuruato nodosa Corallia trunco.

FERDINANDO FEDERICI REGIS F. ARAGONIO, Calabriæ Duci.

ECLOGA QVARTA.

PROTEVS.

NVnc primum notas velis maioribus vndas
Currim' o Nymphæ Craterides: ordine quãdo
Suadet amor, charæ primos telluris honores
Dicere: cæruleæ magni Crateris alumnæ.
Telluris primos charæ dicamus honores,
Dum radiis feruens medium sol excoquit æquor.
Tu vero patriæ iuuenis decus, edite cœlo
Spes generis tanti, seu te nimbosa Pyrene
Pro dulci Latio, pro nostris detinet aruis:
Seu vagus obiecto munimine claudit Iberus,
Rumpe moras: nec te latis Hispania regnis
Adliciat stirpisue tuæ primordia, & ille
Gentis honos: licet effuso Tagus impleat auro,
Et pater Oceanus spumanti perluat vnda
Nam mihi, nam tempus veniet, cũ reddita sceptra
Partenopes, fractosque tuæ sub cuspide reges
Ipse canam: nunc littoream ne despice musam,
Quam tibi post syluas, post horrida lustra Lycei
(Si quid id est) salsas deduxi primus ad vndas.

Ausus inexperta tentare pericula cymba.
Quæ vada non nōrūt, quis nescit Protea portus?
Illum olim veteris pascentem ad saxa Mineruæ,
Mulcentemq; suas diuino carmine Phocas,
E puppi sensere Melanthius & Phrasidamus,
Vt forte à capreis obscura nocte redibant:
Sensere & vario delphinas ludere cursu,
Tritonumq; choris longe freta pulsa sonare.
Ipse autem, haud quaquam mortali digna referri
Verba sono, vacuas lætus cantabat ad auras:
Terrigena vt quondam matris de ventre Tiphoeus
Exiliens, infanda deos ad bella vocasset:
Vt fratrum primus furijs, & biantibus hydris
Instructus, densas ductauerit ipse cateruas:
Vt nisu ingenti parteis de monte reuulsas
Ænariam, Prochytenq; altis immiserit astris,
Ac totum subito cœlum tremefecerit ictu:
Tum pater haud segni molitus fulmina dextra
Immaneis acies deiecerit, atq; trophæum
Iusserit ardenteis testari sulfare Baias,
Quòd gens victa illis lauisset vulnera lymphis.
Hinc magni Alcidæ tauros, stratumq; profundū
Aggeribus memorat, ductamq; per oppida pompam.
His veteres addit Cumas, loca cognita Phœbo,
Vatis & horrendæ lucos, Triuiæq; recessus:
Cimmeriumque domos, & opaca in vallibus antra.
Te quoq; formosæ captum Nesidos amore
Pausilype irato compellat ab æquore questu.
Ah miser, ah male caute, tuæ quid fata puellæ
Acceleras? cupit in medios euadere fluctus
Infelix: cupit insuetum finire dolorem

At

At tibi nec curæ eſt, quod eam Neptunia monſtra
Circunſtent, mare nec rapido quod ſorbeat æſtu.
Ah miſer, ah male caute, vltra quid brachia tēdis?
Siſte gradum, riget illa iugis adſueta niuoſis
Venatrix: quam mille feræ timuere ſequentem
Per ſaltus, vos hanc Panope, vos candida Drymo,
Cymothoeq́; Rhoeq;, Pheruſaq; Dinameneq;
Accipite, & veſtris ſociam luſtrate choreis.
Tum canit antiquas ſedeis opulentaq; regna
Auricomæ Sirenis, & altum in monte ſepulcrum,
Sacraq; Chalcidicoſq; deos, magniſq; per æquor
Auſpicijs vectas hac ipſa ad littora claſſeis:
Tum liquidos fonteis ſubter caua mœnia ducit,
Attollitque arceis, & culmina montibus æquat
Tectorum: vaſtas protendit in æquora moleis,
Eupleamq; procul trepidis dat cernere nautis,
Atque Pharon iungit ſcopulos, præruptaq; ſaxa
Theleboum, Sarniq; amneis, & pinguia culta.
Tū canit, vt Corydona ſacro Meliſæus in antro
Viderit, & calamos labris admouerit audax:
Formoſum quibus ille olim cantarat Alexin,
Dixerat & muſam Damonis, & Alpheſibœi:
Queis fretus, dictante Dea, tot ſidera nobis
Prodiderit, tantas cœli patefecerit oras.
Quid referā aut Stabias, aut quæ tenuiſſe canoris
Virginibus fama eſt abeunteis ſaxa carinas?
Aut vt terrifici ſonitus, ignemque Veſeui,
Et deſolatas paſſim defleuerit vrbeis?
Poſtremo reges, regumq; ex ordine pugnas
Enumerat: belliq; arteis, & præmia narrat.
Addit triſtia fata, & te, quem luget ademptum

Italia infelix(siue id grauis ira deorum,
Seu sors dura tulit)trans altas euehit Alpeis
Mox agit Oceani prope littora: denique sistit
Spumantem ad Ligerim,paruaq; includit in vrna
Heu sortem miserandā, heu, pectora cæca futuri
Haccine te fessum tellus extrema manebat
Hospitijs, post tot terræque, marisq; labores?
Pone tamen gemitus: nec te monumēta parentum,
Aut moueant sperata tuis tibi funera regnis.
Grata quies patriæ: sed & omnis terra sepulcrum,
Hæc ille,& quæ vix audita prioribus annis
Heroum longæua queat meminisse vetustas,
Commemorat, socio respondent æquora plausu:
Luna suam donec paulatim fundere lucem
Cœpit, & ad vitreas redierunt numina sedes.

CASSANDRÆ MARchesiæ, mulieri præstantiss. Ecloga Quinta.

HERPYLIS PHARMACEVTRIA.

DORYAS, THELGON.

SEd iam vulgatos & nos referamus amores.
Quos pariter grata scopuli pendentis in vmbra
Hinc Dorylas, hinc Theleboi maris adcola Thelgō
Certantes docuere; quibus caua littora, & ipse
Aequoreus Platamon, sacrumque Serapidis antrū
Cum

Cum fonte, & Nymphis adsultauere marinis.
Tu mihi, seu doctas percurris Palladis arteis,
Mæniaq; aurũ, & subtegmina vincis Arachnes:
Seu Dryadum choreis, cœtuque immista Dianæ
Haud minor incedis: pictaque adcincta pharetra
Venatu Prochyten, maternaque regna fatigas:
Siue Dicarchæis quà molibus adsilit æquor,
Ludentes spectas Nereidas: en age nostros
(Siquis honos pelagi) Cassandra en adspice lusus,
Non ingrata cano, penitusque iniussa. Neq; vnquã
Arguerint ventura meis te secula chartis
Præteritam: faueat modo non inuitus Apollo,
Et quæ me facili vexere per æquora remo
Pierides: queis longa dies, & nomina curæ.
Interea Dorylam iuuet hic audire canentem.
DOR. Sebethi ad liquidas descẽderat Herpylis ũdas
Herpylis Euboidũ non vltima: quam pater Alcon
Erudijt, Musis & Phœbo cognitus Alcon.
Venerat, & socij partem subitura laboris
Vnanimis soror, & calathum de more ferebat
Ipsa comas effusa, pedemque exuta sinistrum
Cum philtris longum submurmurat: atq; ita fatur
Pone aram: & viuos hauri de flumine rores,
Canaque vicino decerpe absinthia campo.
Illum ill'um magicis conabor adurere sacris,
Qui miseram tota spoliatam mente reliquit.
Voluite præcipitem iam nunc mea licia thrombũ.
Rhombus ad Aemonias reuocetur aheneus arteis:
Sistere qui pluuias, qui pellere nubila cœlo,
Qui potis est trepidos vndis abducere pisceis.
Voluite præcipitem mea licia voluite rhombum

Alga tibi hæc primum tumidi purgamina ponti
Spargitur, & rapidis absumitur arida flammis
Sic mihi sic Mæon varius, adusque medullas.
Voluite præcipitẽ iam nũc mea licia thrombum.
Ter muscũ Clearista, ter hunc sine forcipe cancrũ
Vre simul cumque his dic, viscera Mœonis vro.
Voluite præcipitem mea licia voluite rhombum.
Spõgia nũc lacrymis perfunditur heus bona magno
Spongia nata mari, lacrymas bibe sedula nostras
Vtque rapis sitiens illas, sic Mæonis omnem
Mæonis ingrati rapias de pectore sensum.
Voluite præcipitem iam nunc mea licia rhombũ.
Vt pumex pinguescit, vt æquoris vnda quiescit,
Quæ ventis agitata huc illuc concita fertur.
Sed quid ego heu tristi pectus concussa dolore
Imprecer, & vanis iactem conuitia ventis?
Mæon tot mihi damna, ego Mæoni verba rependã?
Voluite præcipitem mea licia voluite rhombum.
Huc huc, qui rigida meditaris vulnera cauda
Sæue Trigon, & tu, proprium cui sistere naueis
Veliferas Echeneis, adeste: & Mæonis aereis
Tu retinere pedes, tu figere corda labora.
Voluite præcipitem iam nunc mea licia rhombũ.
Tunde iecur spumamque simul Torpedinis atræ
Hæc ego cras illi lethalia pocula mittam:
Ebibat, & subito pallenteis torpeat artus.
Voluite præcipitem mea licia voluite rhombum.
Scinde manu Leporem. Leporis penetrabile virus
Nascitur Eois hic fluctibus: adtulit Ægle,
Docta Ægle, iussitque inimicum tangere limen.
Curre age, tãge simul, simul obline. cras mihi penas.

Persi-

Perfidus ille dabit: gemet ipso in lumine Mœon.
Sistite præcipitem iam nunc mea licia rhombū.
Contere & Halcyonis nidum mihi. Pellere ventos
Dicitur, & sæuas pelagi mulcere procellas.
Forsitan hic nostros sedabit pectoris æstus.
Sistite præcipitem iam sistite licia rhombum.
Hactenus ille: quid huic subiunxerit ordine Thelgō,
Accipe non omneis vnus dolor angit amanteis.
THEL. Rupe sub hac mecū sedit Galatea: videbā
Et capreas, & quæ Sirenum nomina seruant
Rura procul. veteres alia de parte ruinas
Herculis, ambusta signabat ab arce Vesenus
Exere cæruleos Triton de gurgite vultus.
Ipse meas Triton Nereo deferre querelas,
Ipse potes curua resonans super æquora concha
Et scopulis narrare, & fluctiuagis Balænis.

*

Exere cæruleos Triton de gurgite vultus.
Huc ades o mea cura, quid o quid lenta moraris?
Ipse ego te proter, socios, cymbamque reliqui.
Exere cæruleos Triton pater exere vultus.
Hic tibi consuetas formosior explicat vmbras
Populus. amplector sæpe hunc atque oscula figo
Corticibus: sæpe ipsa pedum vestigia quæro:
Et siquid manibus tetigisti, floribus orno.
Exere cæruleos Triton de gurgite vultus.
Quem mihi nunc præfers? si te iuga frondea, si te
Arbuta, pascentesque iuuant per rura capellæ:
Nos quoq; non graciles nunc primū infgere auenas
Discimus. incisas implent mea carmina fagos:
Et mea Mænaliis pendet iam fistula syluis.

Exere

Exere cæruleos Triton pater exere vultus.
Sin magis a tridente hæc littora, sin magis alti
Diuitiæ pelagi sparsos quis cogere pisceis
Doctior, aut rigidum dextra iactare tridentem?
Exere cæruleos Triton de gurgite vultus.
Non ego delphinis, te iudice, non ego thynnis
Aequore vel medio dubitem certare natando.
Quid tibi me iactem? cui vix numerare vel hamos
Nunc vacat, aut restes, onerataque retia plumbo,
Et Sinuessano textas de vimine nassas
Exere cæruleos Triton pater exere vultus.
Me Ligurum duræ rupes, me Gallica norunt
Littora: piscantem pariter me Varus, & ingens
Sensit Arar, sensere maris fera monstra Britanni.
Obrue cæruleos Triton sub gurgite vultus,
Et post hæc (heu) dura fugis. non te mihi tellus
Extera, non venti rapuere. sed accipe munus,
Accipe. non vltra tecum Galatea sedentem
Adspicies. I, læta nouas meditare choreas.
Obrue cæruleos Triton pater obrue vultus

TRAIANO CABANILIO TROIAE, AC MONTELLAE DOMINO.

SALICES.

SI vacat, & blandos etiamnum ventilat igneis
Quæ dea cærulea vehitur super æquora concha,
Turrigeráq; Paphon, ditemq; Amathunta tuetur:
Accipe flumineas properatum carmen ad vndas.
O mihi non dubia Cabanili cognite fama.
Sed longe varios rerum spectate per vsus.
Nam tibi me doctæ sic deuinxere sorores,
Sic mea felici permulcent pectora curæ:
Vt vix illa queam melioris tempora vitæ
Te sine, vix placidos per noctem ducere somnos.
En agedum Traiane tuis hæc praua iussis
Tractanti, iamiamque animo maiora paranti
Da veniam, & tenueis ne dedignare camœnas.
Forte inter virideis (si vera est fama) genistas
Capripedes Satyri, passimque agrestia Panes
Numina, cum Faunis & montiuagis Siluanis,
Exercet dum Sol raucas per rura cicadas,
Vitabant æstus, qua pinguia culta vadosus
Irrigat, & placido cursu petit æquora Sarnus.
Grata quies nemorum manantibus vndiq; riuis,
Et Zephyris densas inter crepitantibus alnos.
Dumq; leueis aptant calamos, dum sibila pressis
Explorant digitis, tenuique foramina cera

Obdu-

Obducunt, vario modulantes carmina cantu:
Auricomæ viridi speculantur ab ilice Nymphæ
Dulcia clarisonis soluentes ora cachinnis:
Sed prope ferre pedem metuunt. nam sæpe labores
Audierant Penæa tuos: & qualibus olim
Infelix eheu virgo Nonacria fatis,
Infelix virgo (quid enim non illa mouêret?)
Pana metu fugiens è vertice Cyllenæo,
Pana deum Arcadiæ, quãuis pulcherrima, quãuis
Dianæ sacros inter lectissima cœtus,
Nodosa tenerum mutarit arundine pectus.
Quas simul ac nemorum petulans, effrænaq; pubes
Semiferi videre per herbida prata vagantes,
Occultamq; imis flammam traxere medullis:
Sic timidas blandis hortantur vocibus vltro:
Huc huc ò teneræ placidissima turba puellæ:
Quid procul adstatis? potius succedite ripæ.
Et viridi in prato molleis de more choreas
Ducite: quandoquidem calamos inflamus inerteis:
Et frustra ad surdas iactamus carmina syluas.
Illæ nil contra: celeri sed nuda parabant
Crura fugæ, tutosque agitabant mente receptus,
Si qua forte viam per saxa irrumpere, & altis
Euasisse iugis, deus, aut sua fata dedissent.
Tum iuuenes, procul ò, clamant, procul iste puellæ
Sit timor: ignauas animo depellite curas.
Nullæ hic insidiæ, nullæ per aperta latebræ:
Cuncta patent: nullas abscondunt hæc loca fraudeis
Nos quoque non Lernæ monstris, non igne Chimæræ,
Scyllæisve lupis geniti, aut latrante Charybdi,
Qui vestra immani laceremus viscera morsu:

Sed diuum genus,& qui ſemper rupibus altis
Vobiſcum crebris venatibus inſultemus,
His dictis permulſi animi,ſecuraq; triſtem
Corda metum eijciunt greſſuq; per vda citato
Prata,deis tandem cupidis,ripaq; propinquant.
Tum manibus ſimul implicitis per gramina feſtas
Exercent choreas:aliosq; alioſq; reflexus
Inter ſe late repetunt:nunc corpora librant
In ſaltus:nunc molle latus: nunc candida iactant
Brachia:& alterna quatiunt veſtigia planta.
Hic Satyri,quanquam voces audire canentum
Crudeles,quanquam niueas ſpectare papillas
Exultant,oculiſq; bibunt ſitientibus ignem:
Tanta tamen ſæui gliſcit vis eſſera morbi
Pectoribus,præcepsq; amor,& maleſana libido:
Vt calamis ſenſim eiectis,ruptoq; repente
Fœdere,ſurgentes ab humo,vento ocyus omnes
Exiliant:ſpretaq; deum pietate,fideq;
Ah pauidas Nymphas,ſubitoq; horrore rigenteis
Inuadunt auidi,ſæuorum more luporum,
Qui lætas medijs proturbant luſibus agnas,
Oblitaſq; ſui paſſim rapiuntq;, trahuntq;,
Dum viridi in campo curſant, aut valle ſub alta,
Et cuſtos ignarus abeſt,& amica canum vis.
Sic illi.at miſeræ diſciſſo pectore Nymphæ
Frondiferam mœſtis ſyluam clamoribus implent:
Atq; huc,atq; illuc fugiunt non ſaxa neque altis
Tuta putant loca ſenta rubis:hinc ardua montis
Prærupti iuga,diffuſos hinc ſtagna per agros
Attonitæ circunſpiciunt via nulla ſalutis:
Et iam ſpes prærepta fugæ: tum deniq; ad vndas

F Con

Consistunt trepidæ, flauosq; à vertice crineis
Cum lacrymis, gemituque & flebilibus lamentis
Abscindunt, Sarnumq; vocant, liquidasq; sorores:
Cũq; vocant, fundo properat chorus omnis ab imo
Naiadum, properat vitreæ rex cæruleus vndæ
Sarnus, inexhaustumq; vadis ciet agmen aquarũ
Rauca sonans: sed quid Sarnusve, aut illa notantũ
Agmina Naiadum possint, vbi ferrea contra
Stant fata, & duro leges adamante rigescunt?
Ergo defecta cura, auxilioque deorum,
Ac cœlum pariter Nymphæ, lucemque perosæ,
Vnum illud, rebus tandem quod restat in arctis,
Finem optant, iamq; in fluuium se mergere adortæ
Membra reclinabant, & aquas prono ore petebãt
Cum subito obriguere pedes: lateque per imos
Exspatiata vngueis radix, fugientia tardat,
Adfigitque solo vestigia: tum vagus ipsis
Spiritus emoritur venis, indignaque pallor
Occupat ora: tegit trepidantia pectora cortex.
Non mora: pro digitis ramos exire videres,
Auratasque comas glauca canescere fronde:
Et iam vitalis nusquam calor: ipsaque cedunt
Viscera paulatim venienti frigida signo.
Sed quamuis totos duratæ corporis artus,
Caudicibusque latus, virgultisq; vndiq; septæ.
Ac penitus Salices: sensus tamen vnicus illis
Syluicolas vitare deos, & margine ripæ
Hærentes, medio procumbere fluminis alueo.

FINIS

FRAGMENTVM eiusdem Auctoris.

Optatos iam Euplea mihi circunspice portus,
Quo liceat trepidas piscanti includere prædas,
Et Zephyris releuare graues spirantibus æstus,
Si quæ mouet cupidam velocis gratia cymbæ.
Tuque ades o nostri merces non parua laboris,
Quę Phœbus mihi, quę docta mea turba, puellæ
Conciliant: dumque ipse ratem de litore pello,
Da vela insinuans, pelagoq; excurre patenti
Pars animæ Puderice meæ. te nam sua Nereas
Per vada, te medio Doris vocat æmula fluctu,
Dũ late horrisonũ cãpus strepit omnis aquarũ.
Lucrinæ ad Veneris templum conuenerat omnis
Aenariæ, Prochytæq; manus: Zephyræus opacæ
Scilicet Aenariæ, Prophyta venit Euthycus altæ
Insignes ambo calamis, & versibus ambo,
Aptus vterq; fretis, piscatibus aptus vterque,
Ille hamos versare, hic retia soluere in æquor.
Tum prior hæc Zephyræus: Adeste o littore ab omni
Piscatorum artes, liquidas exquirite sedes,
Vertite Tritonum latebras, penetrate recessus
Nereidum nunquam nostros sedabitis ignes:
Nũquã me Pholoe, nunquã me Chloris amabit.
Ede tuos mecum tandem caua buccina cantus.
Testis Cymothoe, testis mihi candida Cloto,
Optaui quoties medijs in fluctibus ægram
Proijcere hanc animã: quoties ego gurgite in alto

 Occurri

Occurri monstris immanibus, horrida Cete,
Vt saltem miseros lacerarent dentibus artus.
Ede tuos tandem mecum caua buccina cantus.
Omnia tentaui terras, mare, nubila, cœlum,
Ventorumq́; domos, & tempora quattuor anni:
Omnia sed nocuere simul. vos ite puellæ,
Ite Deæ pelagi, furijs arcessite nostris
Nunc alios succos, aliasq; Melampodis herbas.
Ede tuos tandem mecum caua buccina cantus.
Non magicos versus, ignotaq́; nomina rerum,
Dissimilcisq́; Deos Erebumq́;, Chaosq́; refugi.
Ipsos quinetiam filo conuoluere rhombos
Edidici, parteisque meas de littore Echinos,
De scopulis muscũ, de fluctibus hausimus vndã.
Ede tuos tandem mecum caua buccina cantus.

F I N I S.



ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, Viri Patricij, Elegiarum Liber I.

AD LVCIVM CRASSVM.

TE fœcunda tenent ſaxoſi rura Petrini:
Rura olim proauis facta ſuperba meis.
Et Sinueſſanas ſpectas, mea gaudia, nymphas,
Quiq; nouo ſemper ſulphure fumat ager.
Et modo miraris veteres in littore portus,
Nunc Liris gelida quà fluit amnis aqua.
Cunctaq; felici figis veſtigia cura,
Obſeruas Latiæ dum monumenta viæ.
At mihi paganæ dictant ſylueſtria Muſæ
Carmina, quæ tenui gutture cantat Amor.
Fidaq; ſecretis reſpondet ſylua querelis:
Et percuſſa meis vocibus antra ſonant.
Nec tantũ populos, nec tantum horreſcimus vrbeis,
Quantum non iuſtæ ſæuitiam dominæ.
Hoc vitæ genus, hoc ſtudium mihi fata miniſtrant:
Hinc opto cineres nomen habere meos.

Me probet vmbrosis pastorum turba sub antris,
Dum rogat agrestem lacte tepente Palen.
Me rudis indocta moduletur arundine Thyrsis:
Et tam constanti laudet amasse fide.
Inde super tumulumq; meum maneisq; sepultos
Tityrus ex edera serta virente ferat.
Hic mihi saltabit Corydon, & pulcher Alexis:
Damœtas flores sparget vtraque manu:
Fluminibusque sacris vmbras inducet Iolas,
Dum coget saturas Alphesibœus oueis.

AD IOANNEM PARDVM HISPANVM.

PArde decus patriæ, spes maxima Parde tuorũ,
Atque idem Hispani gloria rara soli:
Quem iuuat immensi causas exquirere mundi,
Primaque constanti corpora iuncta fide:
An magnum æterno voluatur numine cœlum:
An propria hoc ingens mole laboret opus:
Cur salsi fluctus: cur ignibus æstuet Aetna:
Cur vomat epotas vasta Charybdis aquas
Vnde nitor stellis: cur nox maiorve, minorve:
Cur non ipsa suo lumine Luna micet.
Felix cœlesteis cui fas nunc scandere sedes:
In queis post obitum fata manere sinant.
At nos per syluas, & sordia rura cappellas
Versamus:

Et nunc capreolos, & nunc venamur onagros:
Interdum sæuas fallimus arte feras.
Sæpe iuuat pictas visco captare volucres
Nec Satyris ipso cedimus aucupio.
Quod mihi si liceat tenui reuocare cicuta
Trinacrii niueas Vpilionis oueis:
Rura colam semper: populi valeati, & vrbes:
Rura dabunt oculis grata theatra meis.
Illic gramineas, pastorum bella, palæstras
Adspiciam, & celeri præmia parta pede.
Nec me pœniteat sudibus certare colurnis,
Aut armare cauis pectora corticibus.
Pugnabunt tauri, pugnabunt cornibus hirci.
Victores molli cespite serta ferent.
Plenaque pellitus lustrabit ouilia pastor:
Ponet & agricolis rustica liba Deis.
Stabunt capripedes abiegno robore Fauni:
Stabit & indocta falce dolata Pales.
Quorum sollenneis ictus cadet agnus ad aras,
Ictus, vt innumeras expiet agnus oueis.
Tum milium, & niueo statuet fum[illegible]ia lacte
Pocula, votiuas concipietque preces:
Et ter transiliet flammanteis potus aristas,
Ter quoque non tardo rustica turba pede.
Dij facite, inter oueis, interque armenta canendo
Deficiam, & syluis me premat atra dies:
Vt me non docta deploret pastor auena:
Vtque sub vmbrosa contumuler platano.
Ossaque pascentes venerentur nostra capellæ:
Nec procul à tumulo candida balet ouis.
Exultent alij Panchæo munere manes,

Et quærant Parijs marmora cæsa iugis.

AD VXOREM.

NVlla meos poterit mulier prævertere sensus,
Ipsa licet cœlum linquat & astra Venus.
Tu puero teneris ignis mihi primus ab annis:
Vltima tu tremulo flamma futura seni
Iam sanxere semel nos inter fœdera diui,
Fœdera ad extremos non soluenda rogos:
Vt si nostra tuo superesset funere vita,
(Dij tamen in ventos omen abire sinant)
Ipse ego composito venerarer operta sepulcro
Ossa ferens mœsta thura, merumque manu.
Vmbrarumque sacer custos, tumulique sacerdos
Concinerem querula tristia verba lyra.
Nec me complexa quisquam diuelleret vrna,
Quin cineri moriens oscula summa darem,
At si (quod potius cupio) tibi fata dedissent,
Lumina formosa condere nostra manu:
Tunc, mihi cum charos vultus spectare liceret,
Atque anima tecum iam fugiente loqui:
Ipsa meos tumulo manes laniata vocares,
Inq; tuo legeres ossa minuta sinu:
Flebilis & longos scindens ad busta capillos,
Clamares nomen iam moritura meum.
Tum cineri & mutæ persoluens iusta fauillæ,
Mista dares rutilis lilia cana rosis;

Illic mœsta dies, illic consumere nocteis
Optares. nec te vinceret alter Amor:
Sed memor vsque viri, canis veneranda capillis,
Adferres tremulo munera chara manu.
O mihi, dum tales tumulo reddantur honores,
Tam lentam Lachesis scindat auara colum.
Non vt nostra nouos Arabū bibat vrna liquores
Vstas & Assyrio spiret odore cinis?
Aut vt clara mei notescant fama sepulcri,
Altaque marmoreus sidera tangat apex:
Sed magis vt liceat longas audire querelas,
Et gerere è lacrymis serta rigata tuis
Tunc ego Lethææ spatiatus in aggere ripæ.
Qua nitet obtuso lumine falsa dies,
Quaque leuis Casiæ nemus, Ambrosiæq; virentis.
Et fortunatos abluit vnda greges:
Dulcia prætēritæ repetens insomnia vitæ,
Ostendam Elysijs tot mea dona choris.
Felicesque animas inter, felicior ipse
Excipiam plausus læta per arua nouos.
Atque aliquis comitū lætusque, hilarisque recēteis
Sparget humi flores, & mihi serta feret.
Nec contentus eo fidos extollet amores,
Narrabitque alijs de pietate tua.

★

AD LVCINAM, PARTVRIENTE Cornelia Piccolominea, Antonij Garlonij Allifarum Domini coniuge.

AFfer opem teneræ tandem Lucina puellæ:
Auxilio, digna est, quam tueare tuo.
Te vocat, & madidis solam suspirat ocellis:
Et roseo tacitas fundit ab ore preces.
Illa quidem insueto languet male firma dolore:
Vixque potest longa tot mala ferre mora.
At tu Diua veni, tecumque vnguenta reposta
Pyxidis, & siqua est, quæ iuuet herba, feras,
Sic flentis miseros iuuenis compescere questus,
Sic vna poteris sorte leuare duos.
Lucis adest Dea magna: metũ iã conprime Garlõ:
Non frustra est lacrymis illa vocata tuis.
Da costum, myrrhamque focis, quæq; orbe remoto
Cynnama per rubras mauita vectat aquas.
Ipse deam venerare, sacras proiectus ad aras,
Et genio annosum sæpe refunde merum.
Sed trepidi cessere metus, cessere querelæ:
Iam parit aduentu tacta puella Deæ:
Iam puerum est enixa: vides, vt lumine matrem
Exprimat? en, tenero quantus in ore decor
Salue parue puer, cui iam felicia rident
Secula, cui pharetram sponte remittit Amor.
Nam siue auratis humeros armore sagittis,
Seu iuuet accensas sollicitare faces,
Seu potius iactare leues pueriliter alas

Et dare neglectas post tua terga comas:
Quis te non Paphijs eductum vallibus, aut quis
Idaliæ puerum non putet esse Deæ?
Vive precor, blandumque oculis ridere parenti
Assuesce, & dulces disce mouere iocos.

AD IVLIVM SENENSEM, EXVLEM.

CVm mihi languentes dolor oppugnaret ocellos,
Cogerer & tristi soluere verba sono:
Ingratos inter gemitus, mœstasque querelas
Allata est manibus littera missa tuis.
Inspexi, agnouiq; tuas, mea numina, Musas,
Pieriosque haustus, Castaliumque decus.
Poscis, vt iratum placent me carmina Phœbum,
Et flectant duras ad tua vota Deas.
Non hoc ingenium, non hæc facundia nostra est:
I, precor, atque alio flumine pelle sitim,
Ille mihi facileis iam pridem denegat aures,
Et vetat argutæ tangere fila lyræ.
Nec mihi iam solito latices de fonte ministrat,
Nec docet optatos Calliopea choros.
Quid petis extintam dilapso à torre fauillam?
Quid miser à nostro vulnere quæris opem?
Iam tibi felici decurrunt carmina vena,
Et rapit ad patrium te tua Musa decus.
Ipsa mihi visa est te lamentante, Thalia
Ingemere, & tristi Delius ore queri:

Qualis

Qualis Strymonias olim cum fleret ad vndas
Orpheus indignis vocibus Eurydicen:
Qui cantu Ismarij gelidis in rupibus Æmi
Attonuit quercus, attonuitq; feras:
Saxaq; Bistonys deduxit montibus, & te
Currentem astrictis Hebre repressit aquis.
Scilicet egregios semper Fortuna poetas
Tanget, & ancipiti deprimet vsque rota?
Neue sit extremos tantum submotus ad axeis
Ille, Tomitana qui iacet exul humo:
Te quoque nunc rigidi premit inclementia fati,
Longius & patria cogit abesse domo.
Sed nisi per magnos quaratur fama labores,
Omnis in ardenteis est abitura rogos.
Sic pius Æneas, sic stirps Laertis Vlysses
Maius post cineres emeruere decus.
Sic quoq; sublatis Tirynthius, vndiq; monstris
Visit ab Oetæa regna paterna pyra.
Et te (crede mihi) tot sæua incommoda passum
Virtus sublimi ducet in astra via.

IN FVNERE SARRI BRANCAtij Lucretia Vxor.

ERgo importunæ ruperunt stamina Parcæ,
Stamina lanifica iam bene ducta colo?
Ergo ego, quæ fueram tali modo nupta marito,
Frigida nunc tristis conqueror in thalamo?
Quiq; his dignus erat vitam exhalasse labellis,
Occidit externis aduena littoribus?

Felices

Felices nimium, fortunatæq; sorores,
Quæ datis æternis thura Sabæa focis.
O utinam nunquã amplexus, nunquã oscula nosſẽ
Essem pars vestri, nempe ego parua chori.
Chare vir, audaci nimium confise iuuentæ,
Et nimium lacrymis vmbra gemenda meis:
Quis te tam densos immittere corpus in hostes
Iussit? an ad pugnam non satis vnus erat?
Me miseram, non vlla tuæ te cura puellæ,
Non subijt mœstæ certa ruina domus.
Tu mihi per sanctos solitus iurare Hymenæos,
Per non lædendi fœdera coniugij,
Te non immemorem charæ fore coniugis vnquam,
Et si Lethæus tingeret ora liquor.
Quin ipsa admonui, ne sic violentus in arma
Irrueres: eheu quò violente ruis?
Quò raperis? quò iam nostri tibi cura recessit?
An potes uxoris non meminisse tuæ?
Vix equidem credo, quamuis heu credere cogar.
Tam citò pectoribus me cecidisse tuis.
Sed cecidi, sic sors tulit impia, nullaq; pro me
Vota salutareis demeruere Deos.
Hectora sic coniux, sic coniux fleuit Achillem,
Sic misera extinctum Laodomia virum.
Nunc mea virginitas, quando inlibata remansit,
Seruetur cineri non violanda tuo.

AD BEATVM IACOBVM PICENVM.

SAncte sen ex, quem nec sceleris contagia nostri
Nec pessum vitijs secla dedere suis,
Aequasti magnos qui paupertate triumphos,
Tantus amor niuea simplicitatis erat.
Sylua tibi sedes, viridiq; è cespite lectus:
Explebant mensas amnis, & herba tuas.
Talis erat priscis victus mortalibus olim.
Sed priscis tantum viuere cura fuit:
Ad te diuersos naturæ expendere casus
Iuuit, & instanteis diuum aperire metus:
Sub motumque oculis animo percurrere cœlum;
Quasque tenes sedes: mente adijsse prius:
Noscere præterea cunctarum exordia rerum:
Quod vis humanæ conditionis erat.
Magnum opus, vt prima surgentis origine mundi,
Omnia sint senis edita luciferis:
Vtque pater sancta demum cessare quiete
Perfecto artifices iusserit orbe manus,
His addis cantusque pios, ritusque verendos:
Cunctaque legifero tradita sacra duci:
Quæque suis castæ seclis cecinere Sibyllæ:
Quæque sacer vatum spiritus ore refert.
Sidereos partus, demissaque pignora cœlo,
Atque inopes cunæ stramineumque torum,
Speratumque diu terris, cœloque probatum
Verum hominem, verum mente, animoq; Deũ

Hinc & suppliciũ in fandũ, atque obprobria mortis.
Claraq; de Stygia ducta trophæa domo:
Denique vt ad patrem populo spectante suorum
Gesserit, igniferis præsideatq; locis:
Quantaq; nos maneant promissæ gaudia vitæ:
Quantaq; venturæ gloria lucis erit.
Miremur, tibi si placidi penetrale Tonantis,
Et patet immensi regia clara poli:
Cum tantũ his superas meritis sit scandere in arces
Quà plaga securum lactea monstrat iter.
Scilicet inde datur terras spectare iacenteis,
Et circunfusi brachia curua maris:
Solis & ardenteis radios, lunæque recursus.
Qualiter & pacta stent elementa fide:
Nec minus æternis niteant vt sidera flammis:
Et peragant varias noxq; diesque vices.
Felix, qui nostras potuisti linquere curas.
Et procul humanas despicere illecebras.
Felices, qui te colles videre loquentem.
Quæque tibi gratos præbuit herba toros,
Quæq; arbor, rupesve sacra te fouit in vmbra.
Et quæ nunc manes continet vrna tuos.
Nam licet incultis fuerit tibi vita sub antris,
Nunc pedibus data sunt astra terenda tuis:
Attamen o dic sancte pater. dic addite cœlo
Gloria, dic patriæ fama, decusq; tuæ:
Ecquid te solitis mulcet sapientia chartis,
Mollis vbi Elysium concitat aura nemus?
An iuuat aurata meditantem carmina canna,
Nectere purpurea tempora cana rosa?
An mage virgineis sedet inuigilare choreis:

Cum

Cum deceat cœlo, quicquid in orbe libet?
An potius toto ſuperum ſpectante ſenatu,
Diluis æthereo crimina noſtra foro?
Denique quicquid agis nitidi nouus incola cœli,
Pectoribus noſtris non leue numen eris.

AD PETRVM DE ROCCHA forti maximum Regis Galliarum Cancellarium.

QVòd pectus tibi forte, & ardua pectoris arx (eſt,
Quòd forti dignū pectore nomē habes:
Quod leges ſua iura tenēt te vindice; quodq;
Omnia virtuti peruia facta tuæ:
Autumni ſedem, chelasque Aſtræa reliqui,
Aduenique tuos noſter alumne lares.
In cuius ego te, ſi neſcis, ſedula foui,
Reptaſti gremio ſarcina grata meo.
Ipſa tuos finxi mores, animumque, manuſque
Ingeniumque ſagax, iudiciumque dedi.
Hinc noſtri cultuſque frequens, optandaque rerum
Cognitio, hinc fidei nomina tanta tuæ.
Ad te igitur duplices ſubnixo poplite palmas
Inſuetis tendo ſollicitata malis.
Ne patiare meas Latio langueſcere vires.
Pendet ab auxilio ſpes mea tota tuo.
Deprimor audaceis inter deriſa miniſtros:
Nec fas ingenium tollere ad aſtra caput.

Quodque diu partum est virtute, & fortibus armis
Imperium, fœde seruit auaritiæ.
Nec mirum, vestro tantum cum distet ab orbe,
Terraque censura sit procul illa tua.
Quis credat? tectis ciues pelluntur auitis,
Ad rogat iniustas dum sibi fiscus opes,
Fiscus opes miserorum. hoc est, heu, parcere victis?
Hoc est Ausonio reddere iura solo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
Nobilitas, patrijs expoliata bonis:
Culpaturq; fides domino seruata priori,
Et maris, & terræ non labefacta minis,
Scilicet est crimen duram contemnere mortem:
Scilicet est Reges crimen amare suos.
O bene fortunæ memores, quicunque superbas
Gentibus à victis abstinuere manus.
Nam quamuis sæuos illectet præda tyrannos:
Magnanimos Reges gloria sola iuuat.
Delentur nullos hominum benefacta per annos,
Quæq; licet faciunt nos ratione Deos:
At si quis seræ spernit præconia famæ,
Quercubus Alpinis adnumerare potes.
Ergo tu, Regem cui fas lenire potentem,
Da desiderijs vela secunda meis.
Effice, iustitiæ soliti reddantur honores;
Dignus te altricem qui tueare tuam:
Sed soror vt nostros æquet Clementia fasces:
Qua sine dura nimis, difficilisq; vocer.
O decus, ô lapsi spes constantissima secli,
O vir fortuna fortior ipse tua:
Sic tibi contingat, Solyma de gente triumphum,

Captaque per nostros signa videre duces
Sic Rhodanum Nilo spectes dare iura subacto:
Perque Araris ripas plurima laurus eat:
Hoc ego te, mecum hoc Phœbus, doctæq; Sorores,
Hoc pietas, hoc ius, nobilitasque rogant.

DE STVDIIS SVIS, ET LIBRIS IOVIANI PONTANI.

QVui primus patrios potuit liquisse penates.
Et maris, & longæ tædia ferre viæ;
Quem non mœsta domus, quē non reuocare parētes
Non potuit fusis blanda puella comis:
Impius, & scopulis, & duro robore natus,
Atque inter Tygres editus ille fuit.
Non mihi circunstat solidum præcordia ferrum:
Nec riget in nostro pectore dura silex:
Vt possim dulcesque lares, limenque puellæ
Linquere, & ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi sacros cogor lustrare recessus,
Vocalemque vndam, Tespiadumque choros:
Vt fugiam nigras supremo in funere flammas,
Et volitem populi docta per ora mei:
Meque inter claros attollat fama poetas,
Nec rapiat nomen nigra fauilla meum.
Et nostros celebrata superbiat vmbra sepulcro,
Spernat & è Pharijs marmora cæsa iugis:
Non tamen vt magni tumulum tentare Maronis
Audeat,

Audeat, aut tantum speret habere decus.

*

An tanti fuerit sacro Parnassus hiatu,
Perque suas passim templa habitata deas:
Vt tibi sit nitidos lacrymis corrumpere ocellos:
Discessumque fleas chara puella meum?
Ah pereat quicunque leueis sectatur honores;
Et sequitur famæ nomina vana suæ.

*

Scilicet & Turcas Pontanus in æquora classes,
Alfonsi & fortes ducat in arma manus,
Qui nunc nascentis canit incunabula mundi,
Aureaque æthereæ sidera fixa domo:
Vtque imbres, lapidesq; pluant, vt nubibus ignes
Exiliant, salsas vt mare voluat aquas:
Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi,
Rusticaque ad primos munera missa toros:
Delicias Lepidina tuas, resonansque vicissim
Pastorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter & fulüis radiet Sertorius armis,
Et Pompeianus prælia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere versu,
Ille vel æterno digna Marone sonat.
Te pater irriguis audit Sebethus in antris,
Iurgia ad ingratas dum iacis ipse fores,
Inde vocas sacrum festas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera coniugij:
Vtque tuis primum surgens complexibus vxor,
Visa sit erepta virginitate queri.
Felix qui fidos expertus coniugis ignes,
Vidisti sobolis pignora certa tuæ:

Neniolasq; rudes cecinisti,& blanda parentis
Oscula,& ad cunas murmura nata suas,
Felix,excultum torsit qua Fannia vatem,
Quaq; illi regnum Cinnama subripuit.
Quamuis dissi dÿ leges patiantur amaras,
Spectabunt cineres nomen habere suos.
Eridani post hac sed te quis credet ad amnem
Populea cinas fronde ligasse comas?
Et stellam cecinisse,atq; impendisse querelas,
Spectandos cum iam vix daret illa pedes:
Baianosq; sinus,myrtetaque cognita nymphis,
Clausaq; sulphureis antra recurua iugis:
Tum superum laudem, mutisque incisa sepulchris
Nomina collapsos & reparare rogos:
Denique Pindaricosque modos,rasonantia plectra
Et Methymnaa fila nouasse lyra:
Cum tamen interea motus,atque agmina Regum,
Bellaque Campana discutis historia.
Quin & iucundo distringis secula morsu,
Dum vafer in Stygio disputat amne Charon.
Varronisque tui,Nigidique exempla secutus.
Grammatica haud spretas incipis ire vias.
Carminis hinc numeros nostris depromis ab ansis,
Dignatus pueri verba referre senex.
Quid loquar,vt sacros Mariani exhauriat amnes.
Aegidius,verum dum canit ore Deum?
Aut apta ingratos taxet sub imagine mores,
Qui super infusas spernit Asellus aquas?
Te iuuenesque senesque colunt pracepta ferentem,
Parthenope spreto qua Cicerone legit:
Ex adytis quicquid diuum sapientia pandit,

Et Stagera tui dogmata firma senis:
Quid deceat fortemq; virum, quæ Principis artes,
Largifica pi æstet quæ dare dona manu:
Parendi leges quæ sint, legesque loquendi:
Edat vt argutos lingua diserta sales:
Quid fortuna homini, quid det prudentia, quantũ
Immanes animos inclitus ardor agat:
Magnanimiq; viri quæ sint ad singula partes,
Siue colat pacem seu fera bella gerit.
Nec fugis astrorum causas aperire latenteis
Et Ptolemæi fata reposta poli.
Salue sancte senex, vatum quem rite parentum
Præfecit terris Delius Ausoniis.
Non te Lethææ carpent obliuia ripæ,
Nec totum in cineres vertet auara dies.
Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum.
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices expectas Vmbria palmas?
Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ.

*

AD IOANNEM SANGRIVM PATRICIVM NEAPOLITANVM, de suo immaturo obitu.

✠

SI me suauis Amor patrijs pateretur in oris
Viuere, vel saltem matre vidente mori,
Vt quæ vix vno non sunt ingesta libello,
Essent illa suis continuata locis:
Forsitan immites potuissem temnere Parcas,
Ductaque de pulla tristia pensa colo:
Nec me plebeio ferret Libitina sepulcro
Aut raparet nomen nigra fauilla meum.
Nunc cogor dulcesque lacus, & amœna vireta.
Pieridumque sacros destituisse choros
Nec pote, quæ primis effudit Musa sub annis,
Emendaturo subdere iudicio.
Sic heu, sic teneræ sulcis resecantur aristæ:
Implumes nido sic rapiuntur aues.
Pro superi, tuenues ibit Syncerus in auras?
Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu quandoquidẽ Nemesis iubet, optime Sãgri,
Nec fas est homini vincere posse Deam:
Accipe concussæ tabulas, atque arma carinæ,
Naufragijque mei collige relliquias:
Errantesque cie quocunque in littore manes

Taliaque

Taliaque in tumulo carmina cæde meo.
Actius hic iaceo: spes mecum extincta, quiescit;
Solus de nostro funere restat Amor.

IN MALEDICOS DETRACTORES.

QVid ruis in sacros temeraria turba poetas?
Sæuaque mordaci prælia dente moues?
Desine sacrilega conuitia fundere lingua,
Desine pro populo stat Deus ipse suo.
Quis nouus in furias armat dolor? ite profani
Ite, nec immeritas conscelerate Deas.
An monet hoc Stygijs inmersus Scuccha lacunis
Dum flens Eumenidum verbera torta timet;
Illum olim tinctæ iuuerunt felle sagittæ:
Nunc miserum facti pœnitet vsque sui.
Parcite tam chari manes violare parentis:
Per stupra; & talos per cyathosque rogo.
Ars sua quenque iuuat: non vos Helicona subire.
Non fas virginei polluere amnis aquam.
Scilicet hanc sumpto Iouiani Musa cothurno
Hauriat, & magno digna Marone sonet.
Cui comes intactæ lustrans sacraria syluæ
Altilius, docto pectore carmen hiet.
Nec minus & Musæ repetens monimenta iocosæ
Compater, argutos ingerat ore sales.
Elysiusque hedera comptus florente capillos,
Rara, sed Aonijs concinat apta choris.

Extendatq; armis titulos Aquiniuus auitos,
Et doceat nostras cernere castra Deas.
Ipse sua referat Cabanilius ardua Troiæ
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.
Quiq; velut tenera surgit nouus arbore ramus
Coruinus, quauis aure probanda canat.
Et qui Pierijs resonat non vltimus antris
Albinus referat Principis acta sui.
Tu quoque quid cessas doctis deflere querelis
Excidium patriæ culte Marulle tuæ?
Quiq; tot egregias animas, tot clara virorum
Ingenia enixu format, alitque suo,
Nectat honorata Maius sua dicta corona,
Tamque pias ferulas, regia sceptra vocet.
Quin & rite suos genio Charitheus honores
Præbeat, & festas concinat arte dapes.
Ælius at blandæ fretus dulcedine linguæ,
Facunda totos conterat arte dies.
Nec te iam pudeat venturo ostendere seclo
Eloquij vires Scala diserte tui.
Certent Socraticis Zenonis scripta libellis,
Cuius apis vernos intulit ore fauos.
At tu Castalijs non inficiande choreis,
Castalidos Carbo nunc cane regna tua.
Te quoq;, quem gemina mulcet sapientia lingua,
Parde, iuuet studiis inuigilare tuis.
Atque alij, quorum doctas it fama per aures,
Extremo properent vincere fata die.
Nos quoq; si magnus non auersatur Apollo,
Cantemus Nymphas, capripedesq; Deos.
Nam bene Thespiacas, liuor licet audiat, vndas

Noui-

Nouimus, & dextro pressimus antrapede.
At vos incautis socijs aconita parate,
Et furtis miseras extimulate domos:
Oedipodisq; modo, thalamos fœdate paternos,
Si modo dat certum vulgus habere patrem:
Nocturnisque dolis agitate, & cædibus vrbem,
Perque fora infestam reddite, perque vias.
Hæc studia, has artes primis didicistis ab annis,
Non Aganippææ tangere fila lyræ.
Nam neque Calliope vobis, nec dexter Apollo
Permessi sanctos exhibuere lacus:
Dira sed Alecto gemina comitata sorore
Pocula cœnoso de Phlegethonte tulit.
Nimirum hinc nigro mores, & carmina tabo
Pallent, & fœdo liuor in ore sedet.
Fallor, an hos nobis misit grauis Ætna Cyclopas?
Mitis & hanc sentis tu quoque terra luem?
Heu mea Parthenope, quæ te contagia lædunt?
Talia tu nunquam gignere monstra soles.
Dij patrij, quorum monitis huc aduena classis
Appulit, Euboicas constituitque domos:
Littoribus talem nostris auertite pestem,
Mœnia felici si posuistis aue.
Vosque vmbræ insontes, quas iam lethale venenum
Ante diem Stygias ire coegit aquas:
Vltrices huc ferte faces, fumoq; sequaci
Auctores vestræ sollicitate necis.
Et vos ò vatum certissima numina, Musæ,
Numina carminibus non violanda meis,
Parcite, si vestras nunc primum læsimus aures:
Iusta lacessita sumpsimus arma manu.

A C-

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, ELEGIARVM LIBER II.

Ad Alfonſum Ferdinandi filium Aragoneum Siciliæ Regem.

ALFONSE, inuicto laus acceſſura parenti,
Heſperios inter non leue nomen auos:
Quid me laudatos Parnaſſi mittis ad amnes?
Obruitur largo flumine noſtra ſitis.
Gloria Vergilio eſt, currus, atq; arma referre,
Naſonis medio fata in amore mori.
Battiaden docti ſectatur Muſa Properti:
Flaccus Pindaricos diuidit aure modos.
Paſſeris exequias fracto canitore Catullus,
Tu Nemeſim laudas culte Tibulle tuam.
Omnia non vno deſudant eſſeda campo:
Noſter in exiguo tramite currit equus.
Si me Caſtalia docuiſſet Phœbus in vmbra,
Oraq; Gorgonea noſtra rigaſſet aqua,
Meq; vel Æſchyleo donaſſet Muſa cothurno,
Et foret in noſtro grandior ore ſonus:

Non ego Phasiacæ canerem certamina pubis,
Aequora non prima sollicitata rate,
Non coniuratos subuertere Pergama Reges,
Non Troiæ profugos post duo lustra deos,
Thebanasue acies, fratrumque immitia bella,
Sæuaque discordi funera rapta pyra:
Teq; tuosq; meo celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato dulce grauaret onus.
Nam canerem victosq; duces, Hispanaque regna,
Horridaque à proauis bella peracta tuis.
Demissumque genus antiqua ab origine Regum,
Quantaque magnanimi gesta fruntur aui.
Dum Libyæ tractus, veteres Carthaginis arces,
Lotophagum dites & populatur agros:
Reginæ accitu mox Itala regna secutus,
Chalcidicasque arces, Parthenopenque subit.
Sed quoniam instabiles animos muliebria versant
Pectora, suspectos deserit ille lares.
Ac patriæ petit arua suæ, nec longa moratus
Vltores rursum ducit in arma Deos,
Obsessamque intrat nymphis comitantibus vrbem,
Quà per operta vagus labitur antra liquor.
Aurea quin illo dicunt sub Rege fuisse
Secula: felices, qui meruere frui.
Quid patris inuictas acies, quid concita dicam
Classica per campos Daunia terra tuos:
Disiectosque duces, populataque castra, neq; vllis
Clara magis Regum prælia temporibus?
O mihi supremos si Parca indulserit annos,
Quanta canam, quantus vox mea plausus erit.
Tunc ego Mæonios ausim perrumpere fonteis,

Sæuaque

Cum deceat cœlo, quicquid in orbe libet?
An potius toto ſuperum ſpectante ſenatu,
Diluis æthereo crimina noſtra foro?
Denique quicquid agis nitidi nouus incola cœli,
Pectoribus noſtris non leue numen eris.

AD PETRVM DE ROCCHA forti maximum Regis Galliarum Cancellarium.

QVòd pectus tibi forte, & ardua pectoris arx (eſt,
Quòd forti dignũ pectore nomẽ habes:
Quod leges ſua iura tenẽt te vindice: quodq;
Omnia virtuti peruia facta tuæ:
Autumni ſedem, chelasque Aſtræa reliqui,
Aduenique tuos noſter alumne lares.
In cuius ego te, ſi neſcis, ſedula foui:
Reptaſti gremio ſarcina grata meo.
Ipſa tuos finxi mores, animumque, manuſque
Ingeniumque ſagax, iudiciumque dedi.
Hinc noſtri cultuſque frequens, optandaque rerum
Cognitio, hinc fidei nomina tanta tuæ.
Ad te igitur duplices ſubnixo poplite palmas
Inſuetis tendo ſollicitata malis.
Ne patiare meas Latio langueſcere vires.
Pendet ab auxilio ſpes mea tota tuo.
Deprimor audaceis inter deriſa miniſtros:
Nec fas ingenium tollere ad aſtra caput.

Quodque

Quodque diu partum est virtute,& fortibus armis
Imperium, fœde seruit auaritiæ.
Nec mirum, vestro tantum cum distet ab orbe,
Terraque censura sit procul illa tua.
Quis credat? tectis ciues pelluntur auitis,
Ad rogat iniustas dum sibi fiscus opes,
Fiscus opes miserorum. hoc est, heu, parcere victis?
Hoc est Ausonio reddere iura solo?
Cogitur infelix alienas ire per oras
Nobilitas,patrijs expoliata bonis:
Culpaturq; fides domino seruata priori,
Et maris,& terræ non labefacta minis,
Scilicet est crimen duram contemnere mortem:
Scilicet est Reges crimen amare suos.
O bene fortunæ memores,quicunque superbas
Gentibus à victis abstinuere manus.
Nam quamuis sæuos illectet præda tyrannos:
Magnanimos Reges gloria sola iuuat.
Delentur nullos hominum benefacta per annos,
Quæq; licet faciunt nos ratione Deos.
At si quis seræ spernit præconia famæ,
Quercubus Alpinis adnumerare potes.
Ergo tu,Regem cui fas lenire potentem,
Da desiderijs vela secunda meis.
Effice,iustitiæ soliti reddantur honores:
Dignus te altricem qui tueare tuam:
Sed soror vt nostros æquet Clementia fasces:
Quæ sine dura nimis,difficilisq; vocer.
O decus,ò lapsi spes constantissima secli,
O vir fortuna fortior ipse tua:
Sic tibi contingat,Solyma de gente triumphum,

Captaque per nostros signa videre duces
Sic Rhodanum Nilo spectes dare iura subacto:
Perque Araris ripas plurima laurus eat:
Hoc ego te, mecum hoc Phœbus,doctaq; Sorores,
Hoc pietas, hoc ius, nobilitasque rogant.

DE STVDIIS SVIS, ET LIBRIS IOVIANI PONTANI.

Qui primus patrios potuit liquisse penates.
Et maris, & longæ tædia ferre viæ,
Quem non mœsta domus,quē non reuocare parētes
Non potuit fusis blanda puella comis:
Impius, & scopulis, & duro robore natus,
Atque inter Tygres editus ille fuit.
Non mihi circunstat solidum præcordia ferrum:
Nec riget in nostro pectore dura silex:
Vt possim dulcesque lares, limenque puellæ
Linquere, & ignoto quærere in orbe domum.
Sed Phœbi sacros cogor lustrare recessus,
Vocalemque vndam, Tespiadumque choros:
Vt fugiam nigras supremo in funere flammas,
Et volitem populi docta per ora mei:
Meque inter claros attollat fama poetas,
Nec rapiat nomen nigra fauilla meum.
Et nostros celebrata superbiat vmbra sepulcro,
Spernat & è Pharijs marmora cæsa iugis:
Non tamen vt magni tumulum tentare Maronis
Audeat,

Audeat, aut tantum speret habere decus.

*

An tanti fuerit sacro Parnassus hiatu,
Perque suas passim templa habitata deas:
Vt tibi sit nitidos lacrymis corrumpere ocellos:
Discessumque fleas chara puella meum?
Ah pereat quicunque leueis sectatur honores;
Et sequitur famæ nomina vana suæ.

*

Scilicet & Turcas Pontanus in æquora classes,
Alfonsi & fortes ducat in arma manus,
Qui nunc nascentis canit incunabula mundi,
Aureaque ætherea sidera fixa domo:
Vtque imbres, lapidesq; pluant, vt nubibus ignes
Exiliant, salsas vt mare voluat aquas:
Hesperidumque hortos, excussaque poma draconi,
Rusticaque ad primos munera missa toros:
Delicias Lepidinæ tuas, resonansque vicissim
Pastorum argutis carmen arundinibus:
Qualiter & fuluis radiet Sertorius armis,
Et Pompeianus prælia tentet eques:
Audeat arguto neu quis contendere versu,
Ille vel æterno digna Marone sonat.
Te pater irriguis audit Sebethus in antris,
Iurgia ad ingratas dum iacis ipse fores,
Inde vocas sacrum festas Hymenæon ad aras,
Optati referens fœdera coniugij:
Vtque tuis primum surgens complexibus vxor,
Visa sit erepta virginitate queri.
Felix qui fidos expertus coniugis ignes,
Vidisti sobolis pignora certa tuæ:

Neniolásq; rudes cecinisti,& blanda parentis
Oscula,& ad cunas murmura nata suas,
Felix,excultum torsit quà Fannia vatem,
Quæq; illi regnum Cinnama subripuit.
Quamuis dissi dij leges patiantur amaras,
Spectabunt cineres nomen habere suos.
Eridani post hæc sed te quis credet ad amnem
Populea cunas fronde ligasse comas?
Et stellam cecinisse,atq; impendisse querelas,
Spectandos cum iam vix daret illa pedes:
Baianósq; sinus,myrtetaque cognita nymphis,
Clausáq; sulphureis antra recurua iugis:
Tum superum laudem, mutisque incisa sepulchris
Nomina collapsos & reparare rogos:
Denique Pindaricósque modos,rasonantia plectra
Et Methymnæa fila nouasse lyra:
Cum tamen interea motus,atque agmina Regum,
Bellaque Campanæ discutis historiæ.
Quin & iucundo distringis secula morsu,
Dum vafer in Stygio disputat amne Charon.
Varronisque tui,Nigidique exempla secutus.
Grammatica haud spretas incipis ire vias.
Carminis hinc numeros nostris depromis ab ansis,
Dignatus pueri verba referre senex.
Quid loquar,vt sacros Mariani exhauriat amnes.
Aegidius,verum dum canit ore Deum?
Aut apta ingratos taxet sub imagine mores,
Qui super infusas spernit Asellus aquas?
Te iuuenesque senesque colunt præcepta ferentem,
Parthenope spreto quæ Cicerone legit:
Ex adytis quicquid diuum sapientia pandit,

Et

Et Stagera tui dogmata firma senis:
Quid deceat fortemq; virum, quæ Principis artes,
Largifica præstet quæ dare dona manu:
Parendi leges quæ sint, legesque loquendi:
Edat vt argutos lingua diserta sales:
Quid fortuna homini, quid dei prudentia, quantũ
Immanes animos incitus ardor agat:
Magnanimiq; viri quæ sint ad singula partes,
Siue colat pacem seu fera bella gerat.
Nec fugis astrorum causas aperire latenteis
Et Ptolemæi fata reposta poli.
Salue sancte senex, vatum quem rite parentum,
Præfecit terris Delius Ausoniis.
Non te Lethea carpent obliuia ripæ,
Nec totum in cineres vertet auara dies.
Nec tibi plebeio ponetur in aggere bustum.
Niliacas dabitur vincere Pyramidas.
Quid tibi victrices expectas Vmbria palmas?
Mœnibus has patriæ rettulit ille meæ.

*

AD IOANNEM SANGRIVM PATRICIVM NEAPOLITANVM, de suo immaturo obitu.

✠

SI me sanus Amor patrijs pateretur in oris
Viuere, vel saltem matre vidente mori,
Vt quæ vix vno non sunt ingesta libello,
Essent illa suis continuata locis:
Forsitan immites potuissem temnere Parcas,
Ductaque de pulla tristia pensa cola:
Nec me plebeio ferret Libitina sepulcro
Aut raparet nomen nigra fauilla meum.
Nunc cogor dulcesque lacus, & amœna vireta.
Pieridumque sacros destituisse choros
Nec pote, quæ primis effudit Musa sub annis,
Emendaturo subdere iudicio.
Sic heu, sic teneræ sulcis resecantur aristæ:
Implumes nido sic rapiuntur aues.
Pro superi, tuenues ibit Syncerus in auras?
Nec poterit nigri vincere fata rogi?
At tu quandoquidē Nemesis iubet, optime Sāgri,
Nec fas est homini vincere posse Deam:
Accipe concussæ tabulas, atque arma carinæ,
Naufragijque mei collige relliquias:
Errantesque cie quocunque in littore manes

Taliaque

Taliaque in tumulo carmina cæde meo.
Actius hic iaceo: spes mecum extincta, quiescit:
Solus de nostro funere restat Amor.

IN MALEDICOS DETRACTORES.

QVid ruis in sacros temeraria turba poetas?
Sæuaque mordaci prælia dente mones?
Desine sacrilega conuitia fundere lingua,
Desine pro populo stat Deus ipse suo.
Quis nouus in furias armat dolor? ite profani
Ite, nec immeritas conscelerate Deas.
An monet hoc Stygijs inmersus Scuccha lacunis
Dum flens Eumenidum verbera torta timet;
Illum olim tincta iuuerunt felle sagittæ:
Nunc miserum facti pœnitet vsque sui.
Parcite tam chari manes violare parentis:
Per stupra; & talos per cyathosque rogo.
Ars sua quenque iuuat: non vos Helicona subire.
Non fas virginei polluere amnis aquam.
Scilicet hanc sumpto Iouiani Musa cothurno
Hauriat, & magno digna Marone sonet.
Cui comes intacta lustrans sacraria sylua
Altilius, docto pectore carmen hiet.
Nec minus & Musa repetens monimenta iocosa
Compater, argutos ingerat ore sales.
Elysiusque hedera comptus florente capillos,
Rara, sed Aonijs concinat apta choris.

Extendatq; armis titulos Aquiuinus auitos,
Et doceat nostras cernere castra Deas.
Ipse suæ referat Cabanilius ardua Troiæ
Mœnia, & antiquos, Appula regna, lares.
Quiq; velut tenera surgit nouus arbore ramus
Coruinus, quauis aure probanda canat.
Et qui Pierijs resonat non vltimus antris
Albinus referat Principis acta sui.
Tu quoque quid cessas doctis deflere querelis
Excidium patriæ culte Marulle tuæ?
Quiq; tot egregias animas, tot clara virorum
Ingenia enixu format, alitque suo,
Nectat honorata Maius sua dicta corona,
Tamque pias ferulas, regia sceptra vocet.
Quin & rite suos genio Charitheus honores
Præbeat, & festas concinat arte dapes.
Ælius at blandæ fretus dulcedine linguæ,
Facunda totos conterat arte dies.
Nec te iam pudeat venturo ostendere seclo
Eloquij vires Scala diserte tui.
Certent Socraticis Zenonis scripta libellis,
Cuius apis vernos intulit ore fauos.
At tu Castalijs non inficiande choreis,
Castalidos Carbo nunc cane regna tuæ.
Te quoq;, quem gemina mulcet sapientia lingua,
Parde, iuuet studiis inuigilare tuis.
Atque alij, quorum doctas it fama per aures,
Extremo properent vincere fata die.
Nos quoq;, si magnus non auersatur Apollo,
Cantemus Nymphas, capripedesq; Deos.
Nam bene Thespiacas, liuor licet audiat, vndas

Noui-

Nouimus, & dextro pressimus antrapede.
At vos incautis socijs aconita parate,
Et furtis miseras extimulate domos:
Oedipodisq; modo, thalamos fœdate paternos,
Si modo dat certum vulgus habere patrem:
Nocturnisque dolis agitate, & cædibus vrbem,
Perque fora infestam reddite, perque vias.
Hæc studia, has artes primis didicistis ab annis,
Non Aganippææ tangere fila lyræ.
Nam neque Calliope vobis, nec dexter Apollo
Permessi sanctos exhibuere lacus:
Dira sed Alecto gemina comitata sorore
Pocula cœnoso de Phlegethonte tulit.
Nimirum hinc nigro mores, & carmina tabo
Pallent, & fœdo liuor in ore sedet.
Fallor, an hos nobis misit grauis Ætna Cyclopas?
Mitis & hanc sentis tu quoque terra luem?
Heu mea Parthenope, quæ te contagia lædunt?
Talia tu nunquam gignere monstra soles.
Dij patrij, quorum monitis huc aduena classis
Appulit, Euboicas constituitque domos:
Littoribus talem nostris auertite pestem,
Mœnia felici si posuistis aue.
Vosque vmbræ insontes, quas iam lethale venenum
Ante diem Stygias ire coegit aquas:
Vltrices huc ferte faces, fumoq; sequaci
Auctores vestræ sollicitate necis.
Et vos ò vatum certissima numina, Musæ,
Numina carminibus non violanda meis,
Parcite, si vestras nunc primum læsimus aures:
Iusta lacessita sumpsimus arma manu.

A C.

Non ego Phasiacæ canerem certamina pubis,
Aequora non prima sollicitata rate,
Non coniuratos subuertere Pergama Reges,
Non Troiæ profugos post duo lustra deos,
Thebanasue acies, fratrumque immitia bella,
Sæuaque discordi funera rapta pyra:
Teq; tuosq; meo celebrarem carmine: nec me
Pignore tam grato dulce grauaret onus.
Nam canerem victosq; duces, Hispanaque regna,
Horridaque à proauis bella peracta tuis.
Demissumque genus antiqua ab origine Regum,
Quantaque magnanimi gesta fruntur aui.
Dum Libyæ tractus, veteres Carthaginis arces,
Lotophagum dites & populatur agros:
Reginæ accitu mox Itala regna secutus,
Chalcidicasque arces, Parthenopenque subit.
Sed quoniam instabiles animos muliebria versant
Pectora, suspectos deserit ille lares.
Ac patria petit arua sua, nec longa moratus
Vltores rursum ducit in arma Deos,
Obsessamque intrat nymphis comitantibus vrbem,
Quà per operta vagus labitur antra liquor.
Aurea quin illo dicunt sub Rege fuisse
Secula: felices, qui meruere frui.
Quid patris inuictas acies, quid concita dicam
Classica per campos Daunia terra tuos:
Disiectosque duces, populataque castra, neq; vllis
Clara magis Regum prælia temporibus?
O mihi supremos si Parca indulserit annos,
Quanta canam, quantus vox mea plausus erit.
Tunc ego Mæonios ausim perrumpere fonteis,

Sæuaq; terribili bella tonare tuba.
Vtq; alios sileam, tua fortia facta referrem,
Prouherentq; animos tot monumenta meos:
Vt puer extremas regni percurreris oras,
Lustratis referens præmia litoribus:
Et male pacatos sedaueris ante tumultus,
Quam patrijs hostes finibus expuleris.
Primus honos, forti defensos milite Locros
Seruasse, & muros vrbs Meliboæa tuos.
Necnon Marte pari summas Caulonis in arces
Venisse, inq; suo templa sacrata iugo,
Templa Deæ vastis latè quæ præsidet vndis,
Vna Iouis coniux fida sororq; Iouis.
Testis Chratis erit, testes Sybaritides vndæ,
Oraque, quæ fluctus prospicit Ionios.
Adde quod Hetruscos oppleueris agmine campos,
Et tibi captiuis fluxerit Arnus aquis:
Totque pharetratas, Turcarum corpora, turmas
Ausonijs dederis manibus inferias.
Gratia dijs Italis, prærupta Ceraunia, & arces
Butroti nostras pertimuere minas:
Captiuumq; ducem, fractosq; aspeximus arcus,
Detulit huc domita quos tua classis aqua.
Hinc Ligurum furias, compressaq; iurgia ferro,
Gallicaq; in partes oppida versa duas.
Ipse ego quæ vidi, referam: scit Tuscula tellus,
Quæq; cadit summo lympha Aniena iugo.
Nam duce te, Latios ferro dum subruis agros,
Tempora militiæ prima fuere meæ.
Bis Nomentanas, bis magni Tyburis arces
Vidimus ad nostros proijcere arma pedes:

Cum

Cum iam ſit media trepidatum penè Suburra,
Et Capitolino vota parata Ioui.
Nec ſemel (vt fatear) Collinæ ad limina portæ
Fregimus armatos reppulimusq; duces.
Parce tamen veneranda parens, ſi iuſta ſecutus
Signa ſub Alfonſo: Rex erat ille meus.
Lanuuium infelix, fatis contraria noſtris
Terra, potes certas tu variaſſe vices.
Nam quod ad hoſtileis flexit victoria partes
Fortunæ magis hoc, quàm fuit artis, opus.
Ille ſed Eridani ripas non fractus in altas
Contendens, charæ regna ſororis adit:
Metatuſq; locum caſtris, Inſubria paſſim
Fudit, & Euganeis agmina miſſa iugis.
Dicite iò populi, turmas ſpectaſtis ouanteis,
Et per victrices fœdera iuncta manus.
Ipſe quoq; haud ſileat quos cedere Farſarus hoſtes
Riſit, & exutum vertere terga ducem.
Heus vbi nunc Roberte tuæ voceſque, minæq;
Campani peteres cum tibi iura ſoli?
Iam noſtros Reges, iam ſternere cuncta parabas:
Nunc fuga degeneres arguit ecce metus.
Hortariſque tuos dimittere ſigna maniplos,
Heu pudor, & longe præmia militiæ,
Hos tamen ille pius, quamuis diuerſa ſecutos,
Alfonſus miti fouit, & auxit ope.
Macte animo cuſtoſq; hominũ, macte optime Regũ.
Auſoniæ tu ſol, tu pater vnus ades.
Quid memorem paciſq; artes, belliq; labores;
Perpetuumq; animi tempus in omne decus?

IN FESTO DIE S. NAZARII Martyris, qui Poetæ natalis est.

ECce mihi totum lux expectata per annum
Iam redit, Aoniæ serta nouate Deæ.
Hæc me vitales genitum produxit in auras,
Iussit & erectum tollere ad astra caput.
Nunc mihi purpureis aram cumulate Hyacinthis:
Cingite & intexta limina nostra rosa,
Sic etenim coluisse decet geniumq; laresque:
Ferte coronato thura, merumque foco.
Tuque apio innexos dudum acceptura poetas,
Splendida solenneis instrue mensa dapes.
Hic mihi Puniceo Pontani Musa cothurno
Incipiet posito carmen hiare mero:
Naturæque vias, tenerique exordia mundi
Proferet, & certa cuncta obitura die.
Crassus at æterno frondis redimitus honore,
Soluat Pierijs ora rigata modis:
Et mihi Linternumque vetus, placidumq; Perinū,
Ostendatque atavi regna opulenta mei:
Regna male ad seros, heu, peruentura nepotes;
Dum versat varias sors inimica vices.
Altiliusque nouos superis laturus honores
Pindarica feriat carmina docta lyra.
Sfortiadum mox dicat: Aragoniosque hymenæos:
Iure quibus cantus æquet Homere tuos.
Nec gemat exilium Spartani Musa Marulli.
Ventura ad nostras ingeniosa dapes:

Verba

Verba sed antiqua reddat, numerosque Lucreti:
Dum magnis diuos laudibus accumulat.
Adde tuos: Puderice sales, adde inclyta patris
Eloquia, adde animo tot bona parta tuo.
Iamque Panhormitæ lusus, & scripta recense,
Et Iouianæ temporis amicitiæ.
Hos inter meritis rediens Aquiniuus ab armis,
Prodat honoratæ præmia militiæ:
Atque chori princeps docti argumenta Plutarchi,
Cumque suis referat dogmata principijs.
Ipse autem haud dubitet Gabanilius acta referre
Vel sua, vel magni iuncta parentis auo.
Nec Phœbo minus ipse suo, quam Marte probatus,
Phocaico pexas tingat in amne comas.
Tu quoq; quẽ iuuenẽ veneror dulcissime Garlon,
Incipe iam docta plectra mouere manu:
Allifasque tuas mihi concine, dum vaga Lunam
Sidera per tacitum nocte sequuntur iter.
Talibus auspicijs geniales ducere cœnas,
Thespiadumque modis concelebrare iuuat.

IN CALENDIS IANVARIIS AD FVSCVM

EXoritur lux alma, caput sol detegit auratum.
Qui toties nostros exhilarauit auos.
Exoritur: redit ecce anni melioris origo.
Quisquis ades, sancta concipe voce preces.

Cingantur de more sacris fastigia templis,
Quæ vaga Sebethi Nais ab amne legit.
Ipse sui Ianus præpandat limina templi:
Cui geminum liquido stillet odore caput.
Illius & castas sument pia thura per aras:
Atq; focos supra stet, videatq; suos:
Nuntiet & tibi Fusce nouos virtutis honores,
Iam reor hæc animum vota fouere tuum.
Nec magis optaris, quas Lydius amnis arenas,
Quas voluit flaui lympha superba Tagi.
Nec magis vberibus quicquid sibi colligit arvis
Medus, & assiduo sole perustus Arabs.
Iusta precor: Latijs vtinam discedat ab oris
Hostis, & indecori victus oberret equo.
Victus Hydruntinas cogatur linque terras,
Et plangat nostram sanguinolentus humum.
Hæc veniet lux Fusce tuis latissima votis,
Cum pax optatas ducet in vrbe moras.

IN MORVM CANDIDAM.

NVnc Erato virides capiti subnecte corymbos,
Profer & aurata fila canora lyra.
Arboris vmbriferæ casus referamus acerbos.
Non erat hæc nostro fabula nota solo:
Audiat, & molli cantantes protegat vmbra.
Ipsa,
Olim Baianis fuerat pulcherrima sylvis
Naias, errantes figere docta feras.

Quam

Quam liquidus clausis Lucrinus sæpe sub antris
Optauit lateri iungere posse suo.
Nec semel illius pharetram laudauit, & arcum
Pastorum incultis fistula carminibus.
Testes Cumææ, testes Linternides vndæ,
Sanctaque Gauranæ numina Hamadryades,
Illam Syluanos, Panasque odisse bicornes.
Et quoscunque colit sylua, nemusque deos.
Sed quid fata parant? solitis Morinna redibat
Montibus: hoc illi nomen, & omen erat:
Cum subita cœlum texit caligine nymbus,
Et multa canam grandine fecit humum.
Illa hyemem fugiens diuersa per arua cucurrit;
Tecta caput sertis, grandine tecta caput.
Vallis erat prope sulfureos male peruia montes,
Candida quam Graio nomine signat humus,
Hanc super excisis pendebat cantibus antrum,
Agricolum hirsutis nota domus gregibus:
Pugantes huc forte coegerat impiger hircos
Semideusqae caper, semicaperque Deus.
Quem procul vt vidit Nymphe sic pectore toto
Insequitur, tales & iacit ore sonos:
Quò properas ah dura, measque ingrata querelas
Despicis? aspectus ne fuge Nympha meos.
Mecum capreolos, mecum venabere damas:
Parebit iussis hoc pecus omne tuis.
Nil est, quod fugias: mihi crede, recentia semper.
Pocula de niueo fagina lacte madent.
Semper picta rosis, semper contexta ligustris
De nostro poteris munera ferre sinu.
Dixit. at illa volans celeres præuertitur auras,

Imbre nihil motos impediente gradus.
Iamq; patens tristésque lacus, sterilemq; paludẽ,
Consitaque arbustis non minus arua nouis,
Adspicit exesi longe sub faucibus antri
Obscurum cæco puluere noctis iter.
Huc, tanquã in latebras se conijcit. haud minus ille
Insequitur prædæ tractus amore suæ.
Iamque patens cœlum rursus, Solemque videbat,
Liquerat & montem post sua terga cauum:
Dextra pontus erat, præruptaque saxa sinistra:
Et iam defessam, iamque premebat amans.
Protinus exclamans, Fer opem mihi Delia, dixit:
Oraque supremo diriguere sono.
Attulit auxilium Nymphæ Dea, seque vocanti
Præbuit: illa cadens sponte recumbit humi:
Fitque arbor subito: Morum dixere priores;
Et de Morinna nil nisi nomen habet.
Pes in radicem, in frondes iuere capilli,
Et quæ nunc cortex, cærula vestis erat.
Brachia sunt rami, sed quæ nitidissima poma,
Quas male vitasti Nympha fuere niues.
Fleuit Nisenus, mutatum fleuit Auernus,
Fontibus & calidis ingemuere Deæ.
Quinetiam fleuere suis Sebethides antris
Naiades, & passis Parthenopea comis.
Sed tamen ante alios lacrymas in stipite fudit
Faunus, & hæc tristes addit ad inferias,
Inter syluicolas o non ignota sorores,
Nunc morus, duris candida corticibus:
Viue diu, & nostros semper tege fronde capillos,
Cedat vt ipsa tuis pinus acuta comis.

Tu nunquã miseræ maculabere sanguine Thysbes,
Immemor heu fati ne videare tui.
Tu, nec fata negant, niueis vberrima pomis,
Hic olim stabis frondea limitibus:
Et circum puerique canent, facilesque puellæ,
Ducentes festos ad tua sacra choros.
Hactenus insigni cecinit testudine Musa,
Aoniasque volans læta reuisit aquas.

AD BACCHVM.

Bacche bimater ades: sic sint tibi nexa corymbis
Cornua, sic nitidis pendeat vua comis:
Seu te nunc Thebæ, seu te nunc Ismarus horrens,
Siue habet vmbrosis Naxos amica iugis.
Huc pater, huc propera frondenti candide thyrso,
Huc potius gressus dirige Bacche tuos.
Sed pallam iam pone grauem, pictosque cothurnos,
Et musto teneros tu quoque tinge pedes.
Tecum etiã Dryadesque Deæ, Satyrique bicornes
Adsint, & calamos, concauaque æra sonent.
Raucaque subductis percurrant tympana palmis,
Bassaridum fusis turba verenda comis.
Quas male festinans Silenus ponè sequatur,
Et procul vt maneant, subsidеantque, roget,
Tum secum auriti fatum deploret aselli,
Incedet ferula dum titubante senex.
At Deus hortorum, cui vertice fixa rubenti
Canna tremit, sæua falce repellet aues.
In medio crater cælato maximus auro,
Spumet inexhaustum, Lesbia dona, merum:
Et circum de more tuas cauа tibia laudes

Intonet, appositas concelebretque dapes.
Ipse ego perque vias vrbis perque omnia passim
Compita perpetuo sacra colenda feram.
Ipse Giganteo referam memorata triumpho
Nomina, & ouanteis, Orgia læta choros.
Nec sileam fuscas acies, Cangetica regna,
Gestaque odoratis prelia littoribus.
Mox thalamo: Ariadna tuos, tedasque iugales,
Quæque nitet medio fixa corona polo:
Iamque pios ritus, indictaque sacra frequentans,
Instituam virgas fronde virente tegi:
Incendamque tuas vates tam magnus ad aras
Quàm nec Vergilius, quàm nec Homerus erat.
Tu mihi sancte pater mordaces exime curas,
Nubilaque annoso pectora solue mero.
Tu mihi securos adige in præcordia somnos:
Afflatusque iuua lumina fessa tuo.
Scimus enim quantos ineunte ætate laboreis
Pertuleris, quantos fulminis igne metus.
Infelix Semele quid munera poscis amantem,
Quæ tibi, quæ nato sunt nocitura tuo?
Posce Iouem, quæ digna tuis sint præmia votis,
Posce: feres votis præmia digna tuis.
Non tibi syluicolum proles de plebe deorum,
Sed cui sint Phœbus, Mercuriusque pares.
Sed quam Saturnus non dedignetur ab alto
Noscere, quam læto Iuppiter ore probet.
Salue chara patris soboles, mitissime diuum:
Salue hominum requies, lætitiæque parens:
Et faciles (si iusta peto) mihi prospice Musas:
Et me pacato numine dexter adi.

AD LVDOVICVM MONTALIVM SYRACVSANVM, CAROLI Cæsaris scrinii magistrum.

*Mons altus nomen clarum tibi, siue niu
Nascenti dederit fertilis Aetna iug:
Seu lustrata vagis Nebrodis saxa Napæis,
Siue Dionæo numine clarus Eryx,
Seu quod Olympiaco reptaris vertice, teque
Pertulerit placido blanda Arethusa sinu:
Nobile frondoso defluxit nomen Olympo,
Elæi referens sacra vetusta Iouis.
Seu mage quod celsas puer exuperaueris Alpes,
Dum patet in laudes Belgica terra tuas,
Oceanique petis non explorata Britanni
Murmura, nec canæ Tethyos antra times:
Exaustos præferret vt illa ætate labores,
Aeria nomen venit ab Alpe tibi.
Quicquid id est, quicunque huius tibi nominis au-
Mons, & inaccessi verticis asperitas: (tor
Non mores, non facta, sed alta mentis acumen
Vidit, & ingenij preuia signa tui,
Nam licet ipse animo nubes, & sidera vincas,
Cunctaque sint sensu pene minora tuo:
Non te per duros aditus rupeisue fragosas,
Sed per floriferum vallis adimus iter,
Vallis, perpetuo quam vestit gramine riuus,
Et quam vicini littoris aura fouet.*

Hoc est, hoc (mihi crede) deos æquare merendo:
Hoc est æterni sceptra tenere Iouis.
Cætera mortaleis inter peritura labores
Desere; & hoc vnum vita sequatur opus.

AD IVNIANVM MAIVM PRAECEPTOREM

CVm tibi Baianæ spectatur ab æquore nymphæ,
Stagnaque vicinis hospita littoribus:
Qua vetus Herculeos perduxit semina tauros,
Longius excluso concita claustra mari,
Quaq; iacet Baulos inter lucumque Sibyllæ,
Et Prochytæ rectum per iuga tendit iter:
Nos hic (vt nosti) duræ parere puellæ
Cogimur, & tristeis ducere in vrbe moras.
Nec tamen aut studijs animum intendisse seueris,
Aut prodest sanctas excoluisse Deas.
Cumque tot vnanimes dederint mihi fata sodales,
Auxilium, nemo est, qui mihi rite ferat:
Instat sæuus Amor, reficitque in cote sagittas,
Nec patitur presso colla mouere iugo.
Et licet assiduis tabescant pectora curis:
Quærimus, vnde queant tanta venire mala.
Atque vtinam tristes Lachesis mihi finiat annos,
Claudat & ætatis tempora dura meæ:
Aut aliquis, sæui quæ sit medicina furoris
Non vanus nostra cantet in aure Deus.
Sed iam laurigeris cessant oracula Delphis:

Mutaque Cumææ virginis antra silent.
Nec Pan Mœnalia reddit responsa sub vmbra:
Nocte licet pastor viscera libet ouis.
Nec mihi Chaonias spes est audire columbas,
Cornigerumque pudet fata referre Iouem.
Oblitasque loqui iampridem Græcia quercus
Mirata est posito conticuisse deo.
At tibi venturos Mai prædicere casus
Fas est, & mites cosuluisse Deos.
Nec tantum aut aræ fumos, aut nuntia sentis
Fulgura, sed Stygijs somnia missa locis.
Somnia quæ miseram perturbant sæpe quietem,
Dum mens incertis pendet imaginibus.
O quoties per te vanum posuisse timorem
Me memini, & lætos continuisse dies.
O quoties, trepidus cum non spernenda putarem,
In nostrum caui damna futura caput.
Sæpe meæ tibi cum narrassem visa puellæ,
Dixisti, certos haud procul esse metus.
Sæpe illam madidos lustrare in flumine crines
Iussisti, & misto soluere farra sale.
Quod si olim terris talem te fata dedissent,
Spreuisset Tuscos Martia Roma viros.
Nam te quis melius calidas deprendere fibras,
Consulere aerias aut potuisset aues?
Illa triumphatum regeret nunc legibus orbem,
Nec foret in cineres obruta pene suos.
Nec fera vidisset Cannensis funera pugnæ,
Aut aquilas Parthos tam male ferre duces.
Scipiadum patrijs habitarent sedibus vmbræ:
Tanta nec Hispanum conderet ossa solum.

Te duce veridicæ patuissent scripta Sibyllæ:
Non intellecto, quæ nocuere deo.
Fortunate deum interpres, quem sidera norunt,
Cui superum mentes explicuisse licet.
Non te lethali tetigi puer improbus arcu:
Quamuis & dominos implicet ille deos:
Nec tibi securos rumpunt suspiria somnos:
Fallaces Veneris despicis insidias.
At nos incertis cæci iactamur in vndis:
Ducimus & nullo tempora consilio:
Et quisquam mihi nunc longos optauerit annos,
Cum videat vitæ tædia tanta meæ?
Non me Sisyphio superent impulsa labore
Saxa, nec infernis dolia adacta vadis:
Et Tityi rostro cedet mihi vultur obunco.
Pomaque Lethæis risa sub arboribus.
Vos igitur, qui me victum iam fletis amici,
Sic mea compositis cædite busta notis:
Actius hic situs est: cineres gaudete sepulti:
Iam vaga post obitus vmbra dolore vocat.

IN VXORIS NATALEM AD IVNONEM.

IVnoni fer sacra, nouas lege musa coronas:
Natalis dominæ iam mihi festus adest.
Ipsa sed in primis solennes indue cultus,
Et mihi purpurea tempora cinge rosa.
Vtq; aliquid gratas diuæ meditemur ad aras,
Affer inauratæ garrula plectra lyræ.

Tu

Tu quoque vitta tuos auro subnecte capillos:
Plurimaque in niueo pectore gemma micet.
Hæc mihi te, mea lux, seros promisit in annos,
Hæc mihi te certam iussit habere dies.
Quanta mihi hac primum fulserunt gaudia luce?
Quantus in hoc vno tempore venit honos?
O mihi Erythrais merito signanda lapillis:
O mihi delicias inter habenda meas.
Quisquis ades, bona verba, & lætos edite cantus,
Libaque de Siculo dulcia mella date.
Alba mihi vestis nullo violata veneno
Adsit, & in geminos defluat apta pedes.
Ante aram viridi texant vmbracula quercu
Formosis Dryades, rustica turba, comis.
Phœbus odorata circum tegat atria lauro:
At myrto duplices tu Cytheræa fores.
Ipsa Arabum merces Niseia turba ministret:
Lenæusque ferat Naxia vina pater.
Omnia sint lætis operata ex ordine sacris:
Et cœlum niueis constrepat alitibus.
Magna parens Iuno, centum comitata ministris,
Huc ades, & votis annue Diua meis.
Vos quoque per vacuum quæ luditis aera, nymphæ,
Cingite felici nubila summa choro.
Scilicet euentus hæc sint bona signa futuri:
Huc eadem plenæ nuntia lætitiæ.
Ipse ego vestra sequar iucundo gaudia plausu,
Et peragam varios ore, manuque modos:
Quin etiam sertis, & thure calentibus aris
Excipiam sancta numina vestra die.
At tu natalis, nullos non fauste per annos,

Semper honorata luce serenus eas.
Quódque opto, innumeras (si quid prece posse putamur)
Cumaea vincas vatis olympiadas.

AD RVINAS CVMARVM VRBIS VETVSTISS.

HIc, vbi Cumaea surgebant inclyta famae
Mœnia, Tyrrheni gloria prima maris,
Longinquis quo saepe hospes properabat ab oris,
Visurus tripodas Delie magne tuos.
Et vagus antiquos intrabat nauita portus,
Quaerens Daedalia conscia signa fugae:
(Credere quis quondã potuit, dũ fata manebant?)
Nunc sylua agrestes occulit alta feras
Atque vbi fatidicae latuere arcana Sibyllae,
Nunc claudit saturas vespere pastor oues.
Quaeque prius sanctos cogebat Curia patres,
Serpentum facta est alituumque domus.
Plenaque tot passim generosis atria ceris.
Ipsa sua tandem subruta mole iacent.
Calcanturque olim sacris onerata trophaeis
Limina, distractos & tegit herba deos.
Tot decora, artificumq; manus, tot nota sepulcra,
Totque pios cineres vna ruina premit.
Et iam intra solasque domos, disiectaque passim.
Culmina setigeros aduena figit apros.
Nec tamen hoc Graijs cecinit Deus ipse carinis:
Prauia nec lato missa columba mari,

Et

Et querimur, cito si nostra data tempora vitæ
Diffugiunt? vrbes mors violenta rapit.
Atq; vt inam mea me fallant oracula vatem:
Vanus & à longa posteritate ferar.
Nec tu semper eris, quæ septem amplecteris arces:
Nec tu, quæ medijs æmula surgis aquis.
Et te (quis putet hoc?) altrix mea durus arator
Vertet, & Vrbs, dicet, hæc quoq; clara fuit.
Fata trahunt homines fatis vrgentibus, vrbes,
Et quodcunque vides auferet ipsa dies.

MALA PVNICA.

Quid miser externas perquiris nauita gentes?
Et tam longinquo gurgite quæris opes?
Nec te ventorumq; minas, pelagiq; procel- (las
Nec piget ignotæ damna subire viæ.
Aspice, quàm tenui velemus cortice gemmas:
Iam tibi, quicquid habent littora rubra, damus.
Seu vis purpureos roseo fulgore Hyacinthos:
Insensam Baccho siue Amethyston amas:
Ardenteis seu quæ torres imitantur, & igneis:
Seu mage diluto lumine Chrysolithos.
Sed rude diuitias extollit vulgus inanes:
Nec meminit quantis sit caput inde malis.
Diuitiæ fera bella viris, lethumq; tulerunt.
Nam prius æterna pace vigebat humus.
Diuitijs natoq; pater, natusque parente
Cæditur, & charo fratre verenda soror.
Nec tantum sæua tractant aconita nouercæ:
Sed ingulat partus mater auara suos.

ACTII SYNCERI SANNAZARII ELEGIARVM

LIBER III.

Ad Federicum Ferdinandi filium, Aragoneum, Siciliæ Regem.

ERGO ego fallaci tantum seruire puellæ
Natus, & aduerso semper amore queri?
Nec me Pieria spectabit Phœbus in umbra
Inter certantes carmina ferre choros?
Qua densos Helicon saltus, collesque virentes
Pandit, & Aonidum perluit antra liquor,
Dispositaque iugis intexunt serta puellæ,
Pendentesque sonant per caua saxa lyræ.
Iam libet intactis haurire è fontibus vndam,
Et lustrare sacrum, quà via nulla, nemus.
Ardua sunt tentanda: nouas en carmina vires
Sumite per durum gloria anhelat iter.
Nunc opus est alia crinem compescere fronde:
Nil mihi cum sertis Bacche iocose tuis.
Ipse audax virides Parnassi in vertice lauros
Decerpam, aut syluis Pinde canore tuis.

Ipse

Ipse lyram nullo percussam pollicis ictu
Suspendam ex humeris, præmia rara, meis,
Non ego nunc molles meditor lasciuus amores:
Nec iaceo ad surdas carmina blanda fores.
Maior ad heroos me subleuat aura cothurnos:
Maior & in nostro personat ore Deus.
Lætus ades Federice: tuas ex ordine laudes
Exequar auspicijs fama petenda tuis.
Nam quanquã antiquis Regũ bene fulta triũphis
Stat domus, & tantis se sibi iactat auis:
Maiorum tua non titulis innixa recumbit
Gloria, nec priscis gestit imaginibus:
Sed certat magnos virtus anteire parentes,
Aeternum & vera laudẽ parare decus.
Nec tua facta olim titulo breue, marmor habebit:
Immensum magni carminis illud opus:
Seu te quis teneris puerum miratus ab annis.
Aetatis referat tempora prima tuæ:
Seu casus rerum varios, durosque labores,
Exhausta & sæuo prælia Marte canat.
Egressum vixdum cunis Aeneia nutrix:
Sensit, & aduentu mota repente tuo est:
Terq; Deos venerata, caput ter sustulit vrna,
Et tandem Phrygio lingua voluta sono est.
En iterum sol magne, mea post diruta Troia
Pergama, post Latios spes mihi surgit auos.
Hac ætate vagi quondam per prata Scamandri,
Aeneam vidi ludere sæpe meum.
Nec tu maior eras, cum iam post fata Creusæ
Reptares gremio pulcher Iule meo,
Certaresque iocis curas mihi demere aniles.

Deducens blandas nostra per ora manus.
His tamen auspicijs Albanæ ad sidera turres
Creuere, & rerum maxima Roma caput.
Hinc decios, Fabiosque, Hinc pectora dura Cater,
Vidimus, & fasces Brute seuere tuos. (nes,
Vidimus & ductos non vno ex hoste triumphos.
Auctaque Iulais stemmata Cæsaribus.
Ingredere, o, felixque subi pede nostra secundo
Mœnia, propensos & venerare Deos.
Ingredere, Antiphatæ pollens tibi gratia seruit,
Et Lestrymonio limina tuta metu.
Sit Ioue Creta potes, sint clari ab Apolline Delphi,
Laudet Amiclæos Tænaris ora duces:
Alcidem, Bacchumque ferant ad sidera Thebæ:
Terra rudimentis nostra beata tuis.
Nam te, dum rapidos arcet de finibus hostes,
Ardua magnanimus misit in arma pater
Auspice te nostra nullis incursibus arces.
Succubent nullis littora nostra minis.
Sed bene habet, cessere metus, cessere pericla;
Barbarus hostiles ad sua vertit equos.
Iam iuga, iam laxi respirant vndique campi;
Nec tuba veliferas concitat vlla rates.
Tu tamen ad patrios reuocabere victor honores,
Maternósque sinus, Parthenopenque petes.
Mox Salentinos tibi metator in agros,
Quà secat Oebalia culta: Galesus aqua.
Sed quo liuor edax non irruis? ecce repente.
Fata iubent longas te procul ire vias:
Romanumque patrem sacrasque inuisere sedes.
In primis magnos promeruisse Deos.

Et Rhodanum, & ripas magno Lemanne tuas,
Inde per immensum lati spaciabere campi,
Ostendit sacrum mons vbi Iura nemus:
Et veteres felix custodit Claudius arces,
Claudius æternæ conciliator opis.
Hic formidatas acies, ipsumq; videbis
Elatum longa prosperitate ducem:
Finitimis dum bella parat, tibique arma virosq;
Commendans magni ius dabit imperij:
Nimirum ingeniumque sagax miratus, & artes,
Quæque dabis mentis plurima signa tuæ.
Quapropter medijs generum te deligit armis,
Pollicitus natæ spemque torumque suæ.
Ac velut Oenomai currus, astumque secutus,
Eludet pacti fœdera coniugij.
Sed male vt Oenomao currus cessere, doloque,
Perfidiæ pœnas sic ferus iste luet.
Ter victus, ter iam castris exutus ab hoste,
Postremo miseram corruet ante diem.
Nam deiectus equo, fossaque inuentus in alta,
Obscœnam turpi sanguine tinget humum:
Nec iam erit, extremos funus qui curet ad ignes,
Non lapis incisis qui tegat ossa notis.
Tu celsus, tu sublimis, tu victor honorem
Accipies, tibi quem Gallia tota dabit,
Bisque tuis referet superatos Lingonas armis,
Ductaque bis pulsos signa per Eluetios:
Præterea quantum populorum Mosa coercet,
Quantum cærulea Rhenus inundat aqua.
Atq; erit his nostræ gentis vigor, omnia credi
Vt possint iusto succubuisse metu.

Hic ego te laudesque tuas fortissime Iuli
Non sileam, & valida prælia gesta manu:
Quæ titulis Aquiuina domus prælustribus ornat,
Mortalesque inter semidosque locat.
Et iam militiæ moles tibi creditur omnis.
Omnia sub leges allicis ipse tuas.
Ad te patrato iuuenum pulcherrime bello
Tempus erat patriis dona tulisse Deis.
Mendacisque simul fastus, odiumque tyranni
Cum propè defenso deseruisse solo.
Eia age rumpe moras inuisaque castra relinque,
Fidaque magnanimi limina regis adi.
Cui vel ad Oceani fines tot littora parent,
Iuraque dant sceptri Celtica regna sui.
Hic tibi felices tedas, certosque hymenæos
Expediet, tutas & simul addet opes.
Testis erit Liger, Auernis qui fusus ab antris
Libera diuexum per loca findit iter:
Interea patrem, Campanaque tecta reuise.
Debitaque auspicijs hei mihi regna tuis,
Debita, sed fatis cito iam cessura malignis,
Euertet tantas cum ferus hostis opes.
Dij maris Hetrusci, per quos Tyberinus, & Arnus
Macraque cæruleis iungitur altius aquis,
Dum redit in patriam iuuenis, tot honoribus auctus,
Candida felici soluite vela noto.
Vosque citæ puppes iussum properate per æquor:
Fata dabunt istas sæpe iterare vias:
Nec semel hos tractus, Ligurumque videbitis oras,
Aut Vari infaustum fluminis hospitium,
Vallatosque sinus scopulis Toroentia claustra,

Et sparsas mediis Stœchadas æquoribus.
Denique Phocaicosque sinus, Marioque refossum
Littus, & antiquæ mœnia Massiliæ,
Donec fatales Turonum accedere muros
Permittant vestro fata sinistra duci.
Ah Liger, ah nimium lacrymis urgende meorum,
Qualia spectabis flumine busta tuo,
Busta quibus magni ponant diademata reges,
Grataque sollenni flore parentet humus.
Atque aliquis Latio veniens nouus hospes ab orbe,
Portet honoratas manis ad inferias,
Et dicat: Federice tuorum hic meta laborum
Hæsit; habet nostros hæc breuis urna Deos.

QVOD PVERITIAM EGERIT IN PICENTINIS, AD CASSANDRAM Marchesiam.

Est Picentinos inter pulcherrima montes
Vallis: habet patrios hic pia turba Deos,
Quam super hinc cœlo surgens Cerretia rupes
Pendet: at huic nomen Cerrea sylua dedit.
Parte alia sacræ respondent saxa Thebennæ,
Quique rigens Merulæ nomine gaudet apex.
Et circum nigra late nemus accubat umbra,
Plurima qua riguis effluit unda iugis,
Semiferi, si vera canunt, domus horrida Fanni,
Conuectant auidæ quò sua lustra feræ.

Accipit hic tergo formosum bucula taurum:
Accipit immundum sima capella marem.
Mille tori Dryadum, Satyrorum mille recessus,
Antraq; syluicolæ grata latebra Deæ.
Viuula nomen aquæ, tenuiq; Subucula riuo,
Et quæ de gelida grandine dicta sonat.
Huc mea me primis genitrix dum gestat ab annis,
Deducens charo nupta nouella patri,
Adtulit indigenis secum sua munera diuis,
Inprimis docto florea serta gregi.
Grex erat Aonidum: cœtu comitata sororum
Ipsa sui princeps Calliopea chori.
Delius argutis carmen partitus alumnis,
Flectebat faciles ad sua plectra manus.
Atque hic me sacro perlustrauere liquore,
Cura quibus nostræ prima salutis erat.
Tum lotum media puerum statuere chorea,
Et circumfusis obstrepuere soni.
Denique præcinctumque hederis, & virgine lauru,
Ad citharam dulces edocuere modos.
Tantus erat lætis auium concentus in agris,
Vt posses ipsos dicere adesse Deos.
Venerat omne genus pecudum genus omne ferarũ,
Adq; illa festum luce habuere diem.
Tunc ego pastorum numero syluestria primum
Tentaui calamis sibila disparibus:
Deductumque leui carmen modulatus in vmbra,
Innumeros paui læta per arua greges.
Androgeumq; Opicumq; et rustica sacra secutus,
Commoui lacrymis mox pia saxa meis,
Cum tumulum charæ, dum festinata parentis

Fata cano, gemitus dum Melisea tuos.
At tacitas per operta vias rimatus, & antra
Inspecto, & varijs flumina nata locis.
Mox maiora vocant me numina: scilicet alti
Incessere animum sacra verenda Dei.
Sacra Dei Regisq; hominum, dominiq; Deorum,
Primæuum sanctæ relligionis opus,
Nuncius æthereis vt venerit aliger astris.
Dona ferens castæ virginis in gremium.
Quid referam caulasq; ouium, lususque canentum
Pastorum, & Reges Arsacis ora tuos?
Nec minus hæc inter piscandi concitus egit
Ardor in æquoreos mittere lina sinus,
Fallacesque cibos vacuis includere nassis.
Atque hamo vndiuagos sollicitare greges.
Quādoquidē salsas descēdi ego primus ad vndas,
Ausus inexpertis reddere verba sonis.
Quid referam mollesque Elegos, miserabile carmē,
Et superis laudes non sine thure datas?
Quæque aliis, lusi numeris, dum seria tracto,
Dum spargo varios per mea dicta sales,
Multaque præterea dilectæ grata puellæ,
Adscisco antiquis rursus Hetrusca modis.
Vt sileam nunc impensos tot regibus annos,
Tot data belligeræ tempora militiæ:
Et sileam vexata malis mea corpora morbis,
Vixque Machaonia restituenda manu.
Adde graues populiq; fugas, procerumque ruinis,
Inflicta & miseris vrbibus exilia.
Ipse per infestos tecum Federice labores
Multa adij terra, multa pericla mari.

Tuſcorumque vadis, Ligurumq; exercitus Vndis,
Poſtremo littus Maſſilienſe ſubi.
Iam Rhodanum,Volcaſque feros,Vocontiaq; arua
Legimus, & fines Belgica terra tuos.
Bisque pruinoſas curſu ſuperauimus Alpes:
Bis metas magni vidimus Oceani.
Atque hic te tandem defleuimus optime Regum,
Quantum Hecube natos fleuerat ipſa ſuos:
Quantum diſciſſis fratres Caſſandra capillis,
Andromacheque ſui dum legit oſſa viri.
O fatum infelix, o ſors male fida, quid illic
Egimus? o triſti merſa carina loco.
Cum nullum interea frugis genus imbre, vel æſtu
Redderet ingenio Muſa vocata meo.
Et iam miramur, longo ſi preſſa labore
Amiſit vires paruula vena ſuas.
Ipſe deum ſimul,atq; hominũ celebrator Homerus
Deficeret, nedum ſegnis, inersque lyra.
Deficeret pater ipſe, & carminis autor Apollo.
Pegaſidum ſacras qui tenet vnus aquas.
Ergo tanta mea cum ſint diſpendia vitæ
Facta, potes noſtram quiſque dolere vicem,
Quòd non ingenio, quòd non profecimus arte,
Quòd mea ſit longo mens prope victa ſitu:
Quòd mala ſubrepens imos ceu peſtis in artus
Irruerit, fracto corpore, ſegnities:
Nec pote iam lapſa ſtudium reuocare iuuenta.
Ingenij cum ſit tacta ruina mei,
Tu ſaltem bona poſteritas ignoſce dolori,
Qui facit, vt ſpreto ſit mea fama loco:
Muſarum ſpoliterque bonis & nomine claro

Vatis & hæc vltro credar habere mala.
Prosit, amicitiæ sanctum per secula nomen
Seruasse & firmam regibus vsque fidem.
Vosque vel ingnauo, vel tardo, parcite amici,
Cui natura suas dura negarit opes,
Dum tamen ambitione mala, atque libidine turpi,
Et caream inuisæ crimine auaritiæ.
Tu quoque vel fessæ testis Cassandra senectæ,
Quam manet arbitrium funeris omne mei,
Compositos tumulo cineres, atque ossa piato:
Neu pigeat vati soluere iusta tuo.

*

DEOS NEMORVM INVOCAT IN ESTRVENDA DOMO.

Dii nemorũ saluete: ego vos de rupe propinqua,
De summis patriæ mœnibus aspicio:
Aspicio, venerorque: cauæ mihi plaudite valles,
Garrula vicinis perstrepat aura iugis.
Vos quoque perque focos felicia dicite ciues
Verba, per intectas flore decente vias.
Victima solennes eat inspectanda per aras:
Turbaque Palladia fronde reuincta comas.
Mosque vt ab antiqua repetatur origine Roma,
Exterior forda cum boue taurus aret.
Ac prius infosso tectum quam cingere sulco
Incipimus, iustos thure piate Deos.

Nulla per obductum decurrant nubila cœlum:
Candidaque augustum concinat omen auis.
Exurgat paries, ventos qui pellat, & imbres,
Qui multa circum luce serenus eat:
Adsit dispositis series concinna columnis
Quæque ornet medias crebra fenestra fores
Ipse biceps primo custos in limine Ianus
Occurrat lætis obuius hospitibus.
Protinus à dextra sacræ, meæ turba, sorores
Cingant virgineis atria prima choris.
Alæua nitidis stratum Pythona sagittis
Miretur posita Cynthius ipse lyra.
Aedibus in mediis parui sinus amphitheatri,
Visendas Regum præbeat historias.
Ac primum triplici sese defendat ab hoste
Fernandus rapido iam metuendus equo.
Alfonsusque pharetratas, dira agmina gentes
Cogat Hydruntinis cedere littoribus.
Tum iuuenis Rex ipse, & Regum insignibus actus
Alpinos adigat linquere castra duces.
Postremo Federicus, auito lætus honore;
Dalmaticas grandi classe refringat opes.
Infestosque Deos, metuendaque iura minatus,
Indicat nato bella gerenda suo.
Hic bene conueniens membris variantibus ordo
Adspiciat celebreis è regione situs.
Exhedræ, Xysliq; Tablinũ, Hypocausta, Dietæ,
Et quæ priuatis vsibus apta velim.
Atque aliæ occasus, aliæ vertantur in ortus,
Quæq; habeant Borean, quæq; inhibere Notum.
Iungantur longis quadrata, obliqua rotundis:

Et capiat structos plurima cella toros.
O studijs placitura meis, ô mille per artes
Ocia pieriis nostra iuuandă modis.
Hic ego tranquillo transmittam tempora cursu,
Dūm veniat fatis mitior hora meis.
Viximus ærumnas inter, lacrymosaque Regum
Funera, nunc patria iam licet vrbe frui:
Vt quod tot curæ, tot detraxere labores,
Restituat vati Parthenopea suō.

FINIS.

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, VIRI PATRICII, EPIGRAMMATON LIBER I.

AD FEDERICVM REGEM.

SCRIBENDI studium mihi tu Federice dedisti,
Ingeniũ ad laudes dum thrais omne tuas,
Ecce suburbanum rus, & noua prædia donas:
Fecisti vatem, nunc facis agricolam.

Ad villam Mergillinam.

Rupis o sacræ, pelagique custos,
Villa, Nympharum domus, & propinquæ
Doridos, Regum decus vna quondam,
Deliciæque
Nunc meis tantum requies camœnis,
Vrbis inuisas quoties querelas,
Et parum fidos popularis auræ
Linquimus *æstus.*
Tu mihi solos nemorum recessus
Das, & hærenteis per opaca laurus
Saxa: tu fonteis, Aganippidumque
Antra recludis.
Nam simul tete repeto, tuasque

Sedulus

Sedulus mecum veneror Napæas:
Colle Mergillina tuo repentè
Pegaſis vnda
Effluit, de qua chorus ipſe Phœbi,
Et chori Phœbus pater, atque princeps,
Nititur plures mihi iam canenti
Ducere riuos.
Ergo tu nobis Helicon & vda
Phocidos ſaltus, hederiſque opacum
Theſpia rupis nemus, & canoro
Vertice Pindus.
I puer, blandi comitem laboris
Affer è prima citharam columna,
Affer & flores procul omnis à me
Cura recedat.
Principis noſtri decus, atque laudes
Fama per latas ſpatiata terras.
Euehat, qua ſol oriens, cadenſque
Fræna retorquet:
Quaque non notos populos, & vrbeis
Damnat æternis Helice pruinis,
Quaque ferventeis cumulos arenæ
Diſſipat Auſter.
Ille creſcenteis veneratus annos
Vatis, antiquum referentis ortum
Stirpis, & clarum genus, & potentum
Nomen auorum,
Contulit larga numeroſa dextra
Dona, & ingnauæ ſtimulos iuuentæ
Addidit ſyluas & amica Muſis
Otia præbens.

Calendæ Maii.

Maius adest, da serta puer: sic sancta vetustas
Instituit, prisci sic docuere patres.
Iunge hederam violis myrtum subtexe ligustris.
Alba verecundis lilia pinge rosis.
Fundat inexhaustos mihi decolor Indus odores
Et stillaut Assyrio sparsa liquore coma.
Grandia fumoso spument crystalla Lyæo:
Et bibat, in calices lapsa corona meos.
Post obitum non vlla mihi carchesia ponet
Aeacus, infernis non viret vua iugis.
Neu vanum mortale genus quid gaudia differs?
Falle diem: mediis mors venit atra iocis.

In tumulum Ladislai Regis.

Miraris niueis pendentia saxa columnis
Hospes, & hunc acri qui sedet altus equo.
Quid si animos, roburque ducis præclaraq; nosses
Pectora, & inuictas dura per arma manus?
Hic capitolinis deiecit sedibus hostem.
Bisque triumphata victor ab vrbe redit:
Italiamque omnem bello concussit, & armis:
Intulit Hetrusco signa timenda mari.
Neue foret Latio tantum diademate felix.
Ante suos, vidit Gallica sceptra pedes.
Cumque rebellantem pressisset pontibus Arnum,
Mors vetuit sextam claudere Olympiadem.
I nunc regna para, fastusq; attolle superbos:
Mors etiam magnos obruit atra Deos.

Ad Federicum Regem

Clausa quod effossis erumpunt ossa sepulcris,
Et referant veteres putria saxa rogos:

Nimirum

Nimirum tanto cupiunt sub principe manes
Viuere, & ad nutus vmbra vocata venit.
Vique decet, longo mansuras tempore sedes
Spondent, & regnis otia læta tuis.
Quæque diu ambiguis tecum fortuna vagata est
Passibus, hic certa stat bene nixa rota.
Sume animos Federice: tuis hic meta periclis
Hæret, habent manes, & pia busta fidem.

*

De natali Altilii vatis

Musarum lux alma, meus cui thura quotannis,
Cui rite Altilius fundit in igne merum:
Accipe seruatos hyberno frigore flores,
Quæque madent Siculis annua liba fauis.
Quandoquidē magnū Latio, rarumq; dedisti
Pignus, & Aonijs non leue nomen aquis.
At tu, sic tristeis nunquam experiare tenebras,
Sic Phœbi nitido semper honore mices:
Fausta, precor, longos tamen expectata per annos.
Altilioq; tuo concolor vsque redi.

Ad Federicum Regem.

Hybernas tibi pampineis cum vitibus vuas
Mittimus, o regni gloria, honosque tui.
Præla vacant, riget omnis ager, spumantia tandē
Musta silent: mensis est tamen vua tuis.
Iam pater Autumnus vernatia lilia mittet,
Talia si medio frigore bruma dedit.

De expeditione Alfonsi Regis.

Venturos olim Romana ad mœnia Turcas.
Dixerunt vateis: credite vera canunt.
Scilicet Alfonsum Turcas in bella trahentem

Exspectu

Expectas fatis anxia Roma tuis.
Pone metum, vincet sed te meliora manebunt
Imperia: Alfonso principe maior eris.

In tumulum Lauræ puellæ.

Et lacrymas etiam superi tibi Laura dedissent,
Fas etiam superos si lacrymare foret.
Quod potuit tamen, auratas puer ille sagittas
Fregit & extinctas mœsta Erycina faces.
Sed quamuis homines tangant tua fata, Deosq;
Nulli flebilior, quam mihi, vita iaces.
Felices animæ, quibus is comes ipsa per vmbras,
Et datur Elysium sic habitare nemus.

De partu Nisææ Charitei coniugis.

Dum parit, & longas iterat Nisæa querelas,
Scinditur incerta seditione polus.
Pierides puerum, Charites optare puellam:
His Venus, ast illis docta Minerua fauet.
Astat amãs Veneri Mauors. Phœbusq; Mineruæ
Magnanimusq; æqua Iuppiter aure sedet:
Cum subitò aurato surgit puer improbus arcu,
Et cœlum notis territat omne minis.
Assensere metu superi: pater ipse Deorum
Risit, & Aonias iussit abire Deas.
Exultat palma Venus, & nascente puella
Augentur Charites, Cypria turba, Deæ.

Ad Federicum Regem.

Edicto nuper cum tu Rex magne caueres,
Audaci ne quis stringeret arma manu:
Deposuisse tuum vel primus diceris ensem,
Et monstrasse palàm primus inerme latus.

Quid maius populisue tuis Federice, vel urbi
Accidere huic nostræ per tua dona potest?
Post domitos hostes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis viuere posse tuis.
Publica nimirum res tunc sibi constat, & æquum
Imperium, cum Rex, quòd iubet ipse facit.

De emendatione Catulli ad Iouianum.

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
Ingratoq; trahat Lesbia sola choros:
Non tam mendosi mœreb t damna libelli,
Gestiet officio quàm Iouiane tuo.
Ille tibi amplexus, atq; oscula grata referret,
Mallet & hos numeros, quam meminisse suos.

De Cæsare Borgia.

Qui modo prostratos iactarat cornibus vrsos,
In latebras taurus concitus ecce fugit.
Nec latebras putat esse satis sibi: Tybride toto
Cingitur, & notis vix benefidit aquis.
Terruerat monteis mugitibu: nbuia nunc est,
Et facilis cui vis præda sine arte capi.
Sed tamen id magnum, nuper potuisse vel vrsos
Sternere, nunc omneis posse timere feras.
Ne tibi Roma nouæ desint spetacula pompæ,
Amphitheatraleis reddit arena iocos.

Ad eundem, dum ab Vrsinis premeretur.

O taure, præsens qui fugis periculum,
(Nam te nec odio, tædiòue tam bonas
Spreuisse syluas, tam bono putem lacus)
Dic, quis propinqua nubibus tibi iuga

Molestus inuidet? iuga illa iam tuis
Sudata cornibus, tuisque praeliis
Deuicta? quis saltus, & amnium vberes
Cursus, torosque marginum virentium?
Quis vda riuis prata? quis recondita
Nemora? quis vmbras sibilantium arborum
Male aduocatus abstulit tibi Deus?
Non amplius videbis, ah miser, miser,
Amata regna, non videbis amplius
Tuos amores, non licebit, heu, tibi
Posthac cubanti sub genistulis tuis,
Molliue fulto niueum amaraco latus,
Audire voces ruminantium gregum,
Meridianum non inire somnium.
Quae nunc adibis Tesqua? quae petes loca
Miselle taure? quas subibis ilices?
Vbi myricae? vbi virentis arbuti
Iucunda sedes? vbi salicta, & omnibus
Eheu iuuenca praeferenda pascuis?
Iuuenca solos quae relicta ad aggeres
Padi sonantis, heu malum sororibus
Omeri, dolenteis inter orba populos
Te te requirit, te reflagitans suum,
Implet querelis nemus, & vsque mugiens
Modo huc, modo illuc furit, amore perdita:
Omnia peragrat arua, lustrat omnia,
Num qua bisulcae signa cernat vngulae:
Quaerit per alta montium cacumina,
Quaerit per ima vallium cubilia,
Memor locorum, non tamen sui memor:
Te mane primo, te rubente vespero

Luget: nec illam Luna cum ricurreret
Cœlo, nec atræ noctis alma ſidera
Videre dormientem. abire flumina,
Abire ſolem, abire cernit omnĩa:
At ipſa mœſtam ſola non abit domum,
Humi recumbens ſtrata ſub nudo æthere.
Hanc & puellæ nemorum, & ipſe corniger
Syluanus aſpicit, hanc bubulcus intuens,
Miſer bubulcus, nec iuuare eam valens,
Tantum; quod vnicum in malis refugiũ habet,
Suſpirat, ingemit, deum inuocat fidem,
Iratus vrſis, quòd coegerint procul
Abire ſyluis albulum iuuenculum,
Et tam venuſtam clamitare buculam.

In gemmam ſuam.

Hæc mihi quæ roſeos iuſſit ſordere hyacintos,
Et nitet articulis vnica gemma mei;
Cuius in exiguo ductor ſtat Troicus orbe,
Anchiſesq; ſenex, Aſcaniusq; puer:
Quis credat? veteres inter neglecta pruinas;
Et vili latuit ſemi ſepulta ſolo.
Tu tamen obrueras, nec te Sinueſſa pudebat
Hoc decus heu terris occuliſſe tuis.
Scilicet Aeneam natumq; patremq; gerentem,
Ignibus ereptos obruereſq; Deos?
Parcere debueras, cui iam pia flamma pepercit,
Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgaſq; feros, rigidoſq; Britannos
Hac comite ignotos & penetrare ſinus?
Hæc eſt Iliacos pietas ſpectata per igneis,
Cum verita eſt profugos lædere flamma deos,

De Endymione, & Luna.

Spreuerat hirsutas pascentem Pana capellas
Candida nocturnis quæ Dea seruet equis.
At post quam niueæ conspexit mubera lanæ,
Post habuit notas Endymionis oueis.
Qui simul ac tristeis somno inclinaret ocellos
Mors hæc mors, inquit, non mihi somnus erit.

De Ferdinando iuniore.

Corniger æsculea Faunus recubabat in vmbra,
Cùm propè latranteis sensit adesse canes.
Mox iuuenem superis similem, diuinaq; tela
Conspiciens, trepido sic mouet ora sono:
Seu Mars siue alto Phœbus descendis Olympo,
Iam iam linquo omneis te veniente feras.

De Poggio Florentino historico.

Dum patriam laudat, damnat dũ Poggius hostẽ,
Nec malus est ciuis, nec bonus historicus.

De Barth. Platina

Ingenia, & mores, vitasq; obitusq; notasse
Pontificum, argutæ lex fuit historiæ.
Tu tamen hinc lautæ tractas pulmenta culinæ.
Hoc Platina est, ipsos pascere Pontifices.

De pace post Sexti mortem.

Dic vnde Alecto pax hæc effulsit, & vnde
Tam subito reticent prælia? Sextus obit.

De Diana, & Ferd. II.

Errabat Diana suis immixta puellis,
Cum procul ecce mei conspicit ora Ducis:
Atq; ait: huc Nymphæ concedite, nãq; propinquat,
Qui regat in sæuas certius arma feras,

De ma

De mane, & vesperre.

Sol iubet exoriens, Faunos, Dryadasq́; puellas
Quærere, & herboso ducere monte choros.
Deciuis, vitreas suadet descendere ad vndas,
Doridaq́; & lusus ò Galatea tuos.
Causa patet: quia, sublimeis cum tendit in artes,
Nos quoq́; per saltus, & iuga summa rapit.
Cum vero Hesperios petit ima Tethyos amneis,
Exemplo ad fonteis nos vocat ipse suo.
Hinc adeo natura hominum loca mane requirit
Ardua, cæruleis vespere gaudet aquis.

In Qnintum.

Clara tibi videor scripsisse epigrammata Quinti.
Sunt, fateor: medio scripsimus illa die.
Tu latebras obscurus amas, quia lumine nullo.
Atq́; intempesta scribere nocte soles.

De Mercurio, & Amore.

Dum comes aligero Cyllenius iret Amori,
Aliger incauto subripuit faculas.
Deprenso tum fure, manum referebat ad arcum:
Sed non inuenta risit Amor pharetra.

In tumulum Annibalis.

Annibal huc victas secum Cathaginis arceis
Transtulit: hac ambos terra Libyssa tegit.

De Venere, & Iunone.

Confidit nimium inculo dum pulcher Adonis,
Inguina setosus candida rupit aper.
Accurrit miseranda Venus, tum nupta Tonantis.
Quid gemit hac? nullo Mars metus ictus apro
(est.

In Fabianum.

Esse tibi sapiens, & vir Fabiane videris:
At mihi nec sapiens, nec Fabiane vir es.

De prætore præside deside.

Ait nefastas esse nundinas prætor,
Fari recusat: quid nefastius dicas?

Atramentum scriptorium.

Ferrum putre situ spumanti feruet aceto,
Mandet vt æternis scripta voluminibus,
Scilicet hoc illud, vatum volitare per ora:
Hoc est, Pyramidas vincere Nile tuas.
Infelix fatum sanies rubiginis ergo
Eripit inuiso nomina nostra rogo?

Ad Federicum Regem.

Ne tibi non aliquid Iani misisse calendis.
Arguar, aut lætam non celebrasse diem:
Mittimus hybernis seruatas mensibus vuas,
Insuper & faustas addimus ore preces,
Vt tibi qui nitido cum sole renascitur annus,
Felici redeat candidus vsque pede.

*

Tumulus Maximillæ.

Hic hic siste precor gradum viator,
Hoc sub marmore Maximilla clausa est:
Quacum frigiduli iacent amores,
Et lusus, Veneresq; Gratiæq;,
Hanc illi misera seuera Clotho
Pro dulci thalamo domum parauit.
Has matri dedit, has patri querelas
Pro plausu, choreisq; nuptiarum,
Quid firmum tibi, quid putes viator

Mansurum inuiolabile, aut perenne?

*

De mirabili vrbe Venetijs.

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in vndis
Stare vrbem, & toto ponere iura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumuis Iuppiter arceis
Obijce, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, vrbem aspice vtranque:
Illam homines dices, hanc posuisse Deos.

De Alfonso Duce Calabriæ.

Alfonsus magnum dum traijcit Apenninum,
Castraque non solita primus in Alpe locat:
Armorum sonitus, galeasque, aratâque tela
Syluarum dominæ pertimuere Deæ.
Nec minus occultas Satyri petiere latebras,
Assueti imbelleis ante videre feras:
Spectaruntque procul celsa de rupe silentes:
Agmina dum, & magnos cogeret ille duces.
Atque aliquis signa aspiciens, miratur, & inquit.
Imperium vobis vrbis, & orbis erit.

De innocentio VIII. Pontifice Max.

Innocuo priscos æquum est debere Quirites.
Progenie exhaustam restituit patriam.

*

De Vetustino:

Emit sepulchro prædium Vetustinus,
Sed quod futuros non sequatur hæredeis,
Iratus æque mortuisque viuisque
Scribique curat grandibus notis, demens,

Viginti in agro, in fronte ter pedes octo:
Habitat sub vrbe scandulis tribus tectus.
Ne pensione degrauetur, aut sumptu.
Dormit grabato, quo nec ipse iam vellet
Dormire cimex, nec lacerta, nec sorex.
Cœnat per hortos alliumque capasque,
Et salgamorum iure liuidos caules:
Vel si quid optat. unctius sibi poni,
Piscatur ipsis in paludibus ranas:
Aut è cloaca colligit meras sordes,
Putrem palumbum, mortuumue caponem.
Et doliorum turbidam bibit facem,
Tanquam Falernum Consulare, vel Chium,
Opimianæ quod refuderint cellæ:
Nec iam profestis hoc, sed idibus tantum
Sacrisque potat ferculis calendarum.
Et mane veste currit anxius rapta
Ad architectos, marmorumque sectores,
Vt de sepulchro conferat nouas liteis.
Quos iam misellos pessimis modis multat,
Ducit, reducit, distrahit, rapit, vexat.
Per angiportus, viculosque, cliuosque,
Et per ruinas vrbis, & per anfractus.
Monstrat theatra, porticusque priscorum,
Arcusque claris principum sacros armis,
Hinc & deorum templa, & obrutas thermas,
Et quicquid altis fornicum substet cliuis:
Nec iam fauissas linquit, & nigros manes.
Demum recentis cum laboribus fractos,
Et æstuanteis pariter, & fame siccos
Vix officinæ post meridiem reddit.

Iam

Iam feriata, vestibusque adhuc clausa.
Culpat coronas, Zophorumque permutat:
Spiras reformat, & scapos columnarum:
Et nunc Hetruscas, nunc Corinthias mauult:
Nunc Doricarum laudat ordinem tantum,
Guttas, trigliphos, tænias, thoros, plinthos.
Quid cum columnis nunc tibi Vetustine.
Aut cum voluta, ionicisue puluinis?
Dormi miselle, sat diu laborasti:
Cœnare fessos & aliquando permitte.
Aut, si sepulcri cura te coquit tanta,
Cadauer istud vel gemoniis conde.

In tumulum Neæræ

Quæ voces? Charitum. quæ circum pōpa? Neæræ.
Vnde dolor hic? cineri thura ministrat Amor.
Vnde pyra? ex pharetra. qui nam struxere? lepores.
At hæc illacrymans que legit ossa? Venus.
Fortunate lapis, tumuloque beatior omni,
Tu tegis in terris siquid honoris erat.

De Hybla.

Hybla mei quondam dulcissima cura Marulli,
Hybla suburbano nuper humata solo:
Accipe que multo promuntur verba dolore:
Accipe de lacrymis humida serta meis.
Te rosa, te violæ, te mollis amaracus ornat:
Te pia suspenso pondere velet humus.
Et tibi, quod raræ possunt sperare puellæ,
Contingant vatis carmina docta tui.

De Aufidio.

Dum caput Aufidio tractant chirurgus, & ipsum

Altius exquirit, quo videat cerebrum:
Ingemit Aufidius, quid me chirurge fatigas?
Cum subij rixam, non habui cerebrum.

Ad Alfonsum.

Qui prius Herculeæ sensit Leo vulnera clauæ.
Hic alfonse tuos corruet ante pedes.
Quæque viret nostras quercus passura securès,
Deseret inmundos fulmine tacta sues.
Victa dabit Bellona manus: Pax arua reuiset.
Claudentur diræ Marte sedente fores:
Tunc pia Perthenope lætos tibi ducet honores.
Per fora, per vicos ocia vulgus aget.
Sebetosque pater fluuiis metuendus Hetruscis,
Aurea cæruleum tollet ad astra caput.

In Ollum.

Omnia facturum te dicis. nil facis Olle.
Nil mirum: leuius dicere quam facere est.

Ad Rufum.

Tanquam prisca mihi, saxoque inuenta vetusto,
Disticha Rufe soles sæpe referre tua.
Stultũ adeò me Rufe putas? ego tam mala credam
Carmina Romano marmore posse legi?
Archemoro longos affingis Nestoris annos
Andromaches puerum Laomedonta vocas.
Desine mentiri Pyliam, Phrygiamque senectam.
Sint vetera hæc alijs, mi noua semper erunt.

De Cyparisso puero.

Flebat adhuc mœrens ceruo Cyparissus adempto,
Cum sua conspexit cortice membra tegi,
Delius exclamat: quid nostro sylua dolore
Crescis? tu Daphnen, tu Cyparisson habes.

De Iucundo architecto.

Iucundus geminos fecit tibi Sequana pontes:
Iure tuum potes hunc dicere pontificem.

De Aenea, & Didone.

Immemor ah misera cur ensem linquis Elisa
Nate dea? profugas non grauat ille rates.
Anne parum fuerat causam dare mortis acerba,
Ni ferrum fugiens tu quoque triste dares?
Tolle precor tumidas tecũ hoc iam tolle per undas.
Discessu, satis est, si perit illa tuo.

In Caecilianum.

Si tibi per genium fas est iurare Minerua,
Per Veneris flauas Caeciliane comas:
Nec iubar excipitur solis, nec cornua Phoebes,
Nec capitolini crura, caputque patris;
Cur mihi tu ventrem, cur intestina deorum,
Hispana tactus relligione, sonas
Non pudet heu coelum rebus foedare pudendis?
An credis magnos hac quoque habere deos?

Ad Marinum Caracciolum.

O dulce ac lepidum Marine *factum,*
Dignum perpetuo ioco, atque risu,
D*ignum versiculis, facetijsque,*
Necnon & salibus Mrine nostris.
Ille maximus vrbis imperator
Caesar Borgia, Borgia ille Caesar,

*

Fratrum blanditiae. quies, voluptas,
Montis populus ille Vaticanis.
Ille inquam dominae vrbis inquinator,
Caesar Borgia, Borgia ille Caesar,

*

Fratrum

Fratrum pernicies, lues, sepulcrum,
Montis bellua tetra Vaticani,
Quingentas modo qui vorauit vrbes,
Imbutus scelere, & malis rapinis,
Vrbes sub ducibus suis quietas,
Quascunque aut Latium ferax virorum,
Aut Campania pinguis, aut per alta
Diuisi iuga continent Sabini,
Hisque ingessit. Ariminum, Pisaurum,
Vrbinum, Populoniamque magnam,
Camertes pariter, Forumque Liui,
Corneliique Forum, Fauentiamque,
Et quantum Aemiliæ est, Hetruriæque,
Quantum circuitu hinc & inde longo,
Neptuni lauat æstuantis vnda.
At nunc quis negent esse opus Deorum?
Cùm vecors, animi impotente morbo,
Quærit plura, nec est potis misellus
Explere ingluuiem periculosam.
Ecce ecce euomit. o Iouem facetum,
O pulchram Nemesim, o venusta fata.
Verum scilicet id Marine, verum est
Quod dici solet, en fides probat nunc,
Fortunam si auide vorare pergas,
Eandem male concoquas necesse est.
Vt iure euomere hunc putemus ipsum
Qui tantum miser hausit oppidorum.
Ast id omne, quod hausit, oppidorum,
Quod quinque assiduis vorauit annis,
Imbutus scelere, & malis rapinis,
Scis quot euomuit diebus? vno.

O lucem

O lucem niueam, o Iouem facetum,
O pulchram Nemesim, o venusta fata:
O dulce ac lepidum Marinæ factum.

*

De Cæs. Borgia.

Aut nihil, aut, Cæsar vult dici Borgia: quid ni?
Cum simul & Cæsar possit, & esse nihil.

Ad eundem.

Omnia vincebas: sperabas omnia Cæsar.
Omnia deficiunt: incipis esse nihil.

Dies genialis.

Au reli perfunde meis vnguenta capillis
Tu super, & vernas sparge Nearche rosas.
Sed prius æstiuum ramis defendite solem,
Et viridi mollem sternite fronde torum.
Non plumæ, non picta iuuāt me stragula, nec quæ
Pauonis vario sponda colore nitet.
Larga coronatæ disponite pocula mensæ,
Setino & gelidas adsociate niues:
Certatimque leues potanti inducite somnos.
Sic iuuat ætatis ducere fila meæ.
An scimus miseri, quid lux ventura minetur;
Viuamus: mortem fallere nemo potest.

*

De eodem.

Vanas gigantum iras, & impetus graueis
Miratur aliquis audiens mortalium,
Ausumque cœlo vincula inferre irrita
Sæuum Typhoena, cum iugosum Pelion
Adderet Olympo, matre nec Terra satum
Agnosceret sese, impium donec pater

Iratu

Iratus ardenti igne subſtulit caput;
Vt par erat: nam quis petat ſanus Deos?
At nunc quis hoc, quis hoc ferat mortalium?
Iners, puſillus, vnus heu pulex ciet
Turmas, coborteis, copias, manipulos
Muſcarum, & altos ſcandere adparat toros
Heroum, opacis qui ſub vmbris arborum
Strati, ac perenni flore ſubfulti caput,
Ducunt quietem perpetem, æternam, optimam:
Nec noſtra curant dicta vel facta amplius,
Vt qui beatos incolant tuti locos,
Et nomen alta in arce ſacrarint ſuum,
Functi periclis, & malis laboribus;
Cunctasq; fortunæ improbæ calcent minas,
Nedum puſilli pulicis morſus leueis.
At tu moleſte, amare, veſane, impie
Pulex, inepti concitator agminis,
Quo proripis te? quo vocas muſcarias
Iſtas phalanges? quo volatileis globos
Impellis audax? i procul miſer, miſer,
I criminoſe maximam in malam crucem.
Haud fas quietas manium ſedeis Deum
Muſcas ſubire, pulicumq́; copias.
Nil hic negoci vel tibi: vel peſſimis
Tuis maniplis: quid moraris impie?
Abi profundam in noctem, & vltimum Chaos.
Speranda certe gloria hic nulla eſt tibi.
Quos dij probauere ſemel, hos ſemper probant.

Actæon marmoreus.

Viderat Idæo nudas in vertice diuas
Phryx Paris, & dixit, Vincis vtranq; Venus,
At ſit

At sit Gargaphiis quam nos male vidimus vndis,
Vidisset poterat dicere, Cede Venus.

Orpheo respicienti.

Hoc fuit infelix, & adhuc heu respicis Orpheu,
Quod te, quod, miseram perdidit Eurydicen.

Echo loquitur.

Vidi, arsi, fleui, tristemq; (heu fata) repulsam
Spreta tuli: sum nunc vox, sonus, aura, nihil.

Eadem locatur.

Cum facie caream, quaris, cur dicar imago:
Cum tua verba sequar, dic, vbi lingua mea est?

In malum librum.

Si sapis, hospes abi, miserum neu tange libellum,
Non hic Mœonidem, Virgiliumue leges,
Sed fœdas Bauij chartas, & olentia Maui
Carmina, Romani dedecus eloquij.
Quid dubitas sacros incendia poscere lucos,
Abnuerit liquidas si dare Phœbus aquas?

FINIS

ACTII SYNCERI SANNAZARII NEAPOLITANI, VIRI PATRICII, EPIGRAMMATON LIBER II.

CVM verbor picta vacuus phaselo,
Et modo septos iaculis echinos,
Nunc bene hærēteis scopulis labo-
Vellere concas (ro
Tange vocaleis studiosa chordas,
Musa, & auratum moderare plectrum:
Pauca de multis referamus acta
Regis amati.
Qualis herboso spatiata campo
Virgo, iam matris decus, & volptas,
Nectit è solis violis coronam,
Catera linquens,
Hic vbi veras imitata turreis
Tot simul pinnis, niueisq; tectis,
Rupe Mergillina sedens, propinquum
Spectat in æquor,
Adsit ex imo Galatea fundo,
Nil timens, sæuos Polyphemi amores,
Nec mihi durum refluens canenti

Ostrepat

Obstrepat vnda.
Sic licet magnus, trepidasq; turmas
Fregerit primis Federicus ausis,
Cum puer celsas penetrauit Alpeis,
Saxaq; Rheni:
Texerit latis pelagus carinis,
Dalmatum diteis populatus vrbeis:
Senserit presso prope fulminantem
Ore Timauus:
Cinxerit sacra meritum corona
Et caput, Gallos quoniam feroceis
Contudit: totas reuocarit Orci ex
Faucibus vrbeis:
Nil tamen maius, nihil egit vnquam
Fortius, quàm quòd titubante regno,
Cùm sibi sceptrum, & diadema posset
Sumere tutus,
Coniugem charam, propriosq; natos
Liquit, & fidas lacrymas clientum,
Fratris heu pulsam sobolem secutus
Per mare vastum.
Ergo nunc illi moderator alti
Aetheris, cui sunt pia facta curæ,
Regium frontis decus, & negatos
Addit honores.
O fides, rarum, placidumq; numen,
O mihi nullis reticenda seclis:
Te te ego æternum prece, victimisq;
Pronus adorem.

De Andrea Matthæo Aquiuiuo.

Cernis, vt exultet patrijs Aquiuiuus in armis,

Dura-

Duraq; spumanti fræna relaxet equo?
Quis miteis illum Permessi hausisse liquores
Credat, & imbelleis excoluisse lyras?
Consurgunt niueæ fulgenti in casside cristæ:
At clypeus toruo Gorgonis ore tumet.
Macte animo, rigidum Musas qui stringere ferrũ
Qui Martem doctos cogis amare choros.
Hæc ducis est virtus, non ũni insistere palmæ,
Sed nomen factis quærere, & ingenio.

In bubonem.

Nam quis te inepte bubo tam stolidus furor,
Adegit importunum inire prælium,
Isto indecenti rostro, & alis luridis?
Quid bellicosæ volucris insulse asperos
Lacessis vngueis? desine miser, dum licet,
Ne dormientis excites sommum tuo
Cũ maximo (vt par est) malo, ac clade vltima.
Sed peruenire vis in ora vulgi, & hac
Via cupis scelestè fieri notior?
Non assequere, nec profecto tam bono.
Fruere fato. An hoc pudendo sanguine
Se tingat aquila fulminum & cœli immemor?
Ponenda honestæ mortis hæc spes est tibi.

In Lucretiam de Sexto.

Ergo te semper cupiet Lucretia Sextus?
O fatum diri nominis: hic pater est?

Ad Mathonem.

Vt mandem victura meis tua nomina chartis,
Dicis amicitiam te Matho velle meam.
Et tibi semper in ore duces, quos Graius Homerus,
Quos noster Latia vexit in astra tuba.

Dumq;

Dumque ego ſum tanti te iudice, venit ab horto
Cum donis holitor bisue ſemelue tuus:
Scilicet æterni pretium mihi grande daturus
Nominis, & fidæ pignus amicitiæ.
O Matho, quam felix & amico, et vate reperto es,
Quam felix horto, muneribuſque tuis,
Si quod dijs genitis vix tot peperere labores,
Id tibi lactucæ, prototomique dabunt.

De patria Homeri.

Smyrna, Rhodos, Colophō, Salamin, Ios, Argos Athenæ
Cedite iam: cœlum patria Mæonide eſt.

De Luna, & Pane.

Effudit longas Tegeæa in rupe querelas
Pan captus forma candida Luna tua.
Cumque leui calamos cera coniungeret, addit,
Prædata es ſenſus tu quoque canna meos.

In tumulum Amaranthæ.

Hic Amarantha iacet, quæ ſi fas vera fateri,
Aut Veneri ſimilis, vel Venus ipſa fuit.

Ad Ferrandum Regem.

Ex ferro nomen tibi ſit licet, aurea condis
Secula: nam ſub te principe nemo metit.

De Summontii pietate

Excitat obſtrictas tumulis Summontius vmbras,
Impleat vt ſanctæ munus amicitiæ.
Vtque prius viuos, ſic & poſt fata ſodales
Obſeruat, triſtes & ſedet ante rogos.
Nec tantum violas cineri, ac bene olentia ponit
Serta, ſed lacrymis irrigat oſſa pijs.
Parua loquor: cultis reparat monumenta libellis,
Cum poſſint longam ſaxa timere diem.

At tu, viuaci quæ fulcis nomina fama,
Poscenti gratas Musa repende vices:
Vt quoniam dulceis optat sic viuere amicos,
Viuat, & in libris sit sacer ille meis.

De Venere, & Diana.

Incultam aspiciens syluis Cytherea Dianam,
Risit, &, An tendes retia semper? ait.
Cui dea casta: Feris cur non ego retia tendam;
Tendere si potuit vir tuus illa tibi?

De Venere, & Priapo.

Tractab[illegible] clypeum Mærti [illegible] Dione:
Sau[illegible] fæminea semper [illegible]
Pone Dea, exclama[illegible]
Pone, d[illegible] istas h[illegible]

In Gelliam.

Quem tu nũc patruum, nunc patrem Gellia dicis,
Hic tibi nec patruus Gellia, nec pater est.

In Flaccum.

Non largitur opes, & vult epigrammata Flaccus,
Iure suo hæc poscit, vult sibi verba dari.

De Peto compatre.

Petus delitiæ tuæ Dione,
Vni cui Charitum sales beatos,
Cui fontes dederas facetiarum,
Ac risus simul elegantes omnes,
Petus mortuus est tuus Dione,
Petus compater vsq; ad astra notus.
Qui puro niueæ colore mentis
Vincebat nitidissimos olores,
Cui de lacteolis tuis papillis

Dona

Donarunt violas Iocusq́; Amorq́;,
Donauit teneram Thalia myrtum.
Mox promens citharam decentiorem,
Versus addidit eruditiores.
O sæuæ nimium, malaq́; Parcæ,
Vestros non potuit tenere fusos
Petus; qui rapidas domare tygres,
Qui duras potuit mouere quercus.
Vestras non potuit colos morari.
Sic, sic occidis heu miselle Pete:
Nec te Pierides tuæ, nec ipsa
Quæ te per Paphon, & Gnidon virentem
Per colles Amathuntios vocauit,
Fatis eripuere tam malignis.
At non vnanimes tui sodales
Quos tu pectore tam pio colebas,
Quos tristes obitu tuo relinquis,
Hoc duro tibi defuere casu.
Quin me trans Ligerim: ferosq; Celtas.
Lustrantem Morinum pigras paludes,
Dum quæro Oceani vltimos recessus,
Veris nuntius obruit querelis.
Ergo quid tibi tam vagus viator,
Cui nec pulcra Neapolis, nec alti
Colles Pausilypi, nec ipse adesset
Sebethos pater aut pater Vesæuus,
Inferre exequiarum amice possem?
Rupem, quam vagus hinc, & inde Nereus
Alterna veniens retundit vnda,
Accessi, & procul angulo in supremo
Stans, supra pelagi alluentis æstus,

Manes terque quaterque conuocaui.
Hic fudi lacrymas amariores:
Hic vici gemitus vel vnus omnes,
Omnes & simul omnium querelas.
Mox quamuis cineri tuo decentem
Pontanus tumulum pararit, ac te
Cognatas veneretur inter vmbras:
Quamuis & diuturnius sepulcrum,
Quod nec secula vincere ipsa possint,
Diuinis paret excitare chartis:
Nostrum non tibi qualecunque munus
Inter frigora, solitudinesque
Cessauit, nec honore te supremo
Fraudauit miser: hoc scit ipsa Tethys,
Scit late Oceani vnda Gallicani.
Stant aræ tibi, stat videnda nautis
Terreni tumuli pusilla moles,
Et buxus super, & dicata quercus.
Nam myrtum regio illa non habebat.
Quæ iussit pietas sacrare, vt esset
Naturæ tibi terminus sepulcrum.

Ignes nocturni Romæ

Aspicis, vt picti vultus imitetur olympi,
Certet & astriferos vincere Roma polos.
Scilicet hos Auguste tibi largitur honores,
Ne cupias magni tecta videre Iouis.
Alta coronatæ iactant incendia turres:
Et Vaticano fulmina monte tonant.
Dumque palam tantos cupit ostentare paratus
Vrbs nimium in laudes ambitiosa suas:
Viuant astra, inquit, summo contenta Tonante.

Pareat Augusto dum modo Roma suo.

De Tyrannis, & Bruto.

Cum tot Tarquinios passim consurgere cernas,
Miraris, Brutum cur ferat Italia?

In tumulum pueri.

Nate patris, matrisq; amor, & suprema voluptas,
Accipe, quæ nobis te dare par fuerat.
Busta eheu, tristeisq; notas damus, inuida quando
Mors immaturo funere te rapuit.

*

In degenerantem.

Nomen aui, non facta refer: diceris ab illo
Alter, sed iuuenis tu, precor, ille senex.

*

De Lucio Grammatista.

Nocteis, & nocteis iterat dum Lucius, illi
Perpetuam noctem præbuit altus Arar.

*

Catonis tumulus

Hic, vbi libertas, magni & iacet vmbra Catonis,
Quam melius poterant Cæsaris ossa tegi?

De Venetorum signis.

Romanas Aquilæ post quam liquere cohortes,
Magnanimus turmas ducit in arma Leo.

De Andrea Matthæo Aquiuiuo
Duce Hadriæ.

Mœsta Bituntinæ duxerunt otia Nymphæ,
Nec faunis solitos exhibuere choros.
Scilicet optato quicquid sine principe cernunt,
Ingratum est, tantus principis vrget amor.
Nec satis est positis arcum spreuisse sagittis,

Quęstubus & totos continuasse dies:
Ast etiam nostris faciunt conuitia terris:
Et nos Sirenas, *Lotophagosq; vocant.*
Vera loquor: Diuę veniam date vera loquentis
Non amor hic certe, sed magis inuidia est.

*

In theatrum Campanum

Dicite semidei, syluarum numina, Panes,
Et si qua aduentu es Nympha fugata meo:
Cui licuit tantas saxorum euertere moles,
Quas iam disiectas vix nemora alta tegunt?
His ne olim sueta est cuneis Campana iuuentus
Amphiteatrales lęta videre iocos?
Nunc vbi tot plaususque hominum, vocesq; canorę
Tot risus, tot iam gaudia, tot facies?
Scilicet, heu fati leges: rapit omnia tempus,
Et quę sustulerat, deprimit ipsa dies.

De fonte Mergillines.

Est mihi riuo vitreus perenni
Fons, arenosum prope littus, vnde
Sępe discedens sibi nauta rores
Haurit amicos.
Vnicus nostris scatet ille ripis,
Montis inmenso sitiente tractu,
Vitifer quà Pausilypus vadosum ex-
currit in ęquor.
Hunc ego vitta redimitus alba:
Flore, & ęstiuis veneror coronis,
Cum timet amnes, & hiulca sęuum
Arua Leonem.
Ante quam festę redeant calendę

Fortis Augusti, superantque patri
Quattuor luces, mihi tempus omni
Dulcius æuo
Bis mihi sanctum, mihi bis vocandum,
Bis celebrandum potiore cultu,
Duplici voto, geminaque semper
Thuris acerra.
Namque ab extremo properans eoo,
Hac die primum mihi vagienti
Phœbus illuxit, pariterque dias
Hausimus auras.
Hac & insigni peragenda ritu
Sacra sollennes veniunt ad aras,
Nazari vnde omnes tituli, meæque
Nomina gentis.
Nazari vastas cohibentis vndas
Aequoris sæuosque domantis æstus,
Quicquid & vani truculenta iussit
Ira Neronis.
O decus cœli, simul & tuorum,
Rite quem parua veneramur æde,
Cui frequentandas populis futuris
Ponimus aras:
Si mihi primos generis parentes,
Si mihi lucem pariter dedisti:
Huc age, & fontem tibi dedicatum
Sæpe reuise.

Santo Nazario.

Natali quod diue tuo lucem editus hausi,
Quòd tua nascenti lux mihi prima fuit:
Actius hoc riguo paruum cum fonte sacellum

Dedico, tu nutu fac rata vota tuo:
Vt quæ Sextiles lux venerit ante calendas
Quarta sit hic generi bis celebranda meo,
Et quod solennes reuocat tua festa per aras,
Et quod natalem contingit esse meum.

De lauro, ad Neritinorum ducem.

Illa deum lætis olim gestata triumphis,
Claraq; Phœbææ laurus honore comæ,
Iampridem male culta, nouos emittere ramos,
Iampridem baccas edere desierat.
Nunc lacrymis adiuta tuis reuirescit, & omne
Frondiferum spirans implet odore nemus.
Sed nec eam lacrymæ tantum iuuere perennes,
Quantum mansuro carmine quod colitur.
Hoc debent Aquiuini Duces tibi, debet & ipse
Phœbus: nam per te laurea sylua viret.

In tumulum Cottæ Veronensis.

Sperabas tibi docta nouum Verona Catullum:
Experta es duros bis viduata deos.
Nulla animum posthac res erigat: optima quando
Prima rapit celeri Parca inimica manu.
Quæ tamen vt vidit morientis frigida Cottæ
Ora, suum fassa est crimen, & erubuit.

*

De Ferrando iuniore.

Si merita audieris Ferrandi, Nestora credas:
Si numeres annos, dixeris Antilochum.

*

Tumulus,

Tumulus, in quo ploratur filius vnicus.

Cur heu lætitiam falſo dixere parentes?
Triſtitiam qui me dicere debuerant.
Natus erat miſeræ lux vnica, matris ocellus
Vnicus, hunc Lacheſis noxia ſubripuit.
I nunc, vel Nioben confer mihi. cuius habet ſors
Hoc melius, fieri ſaxea quod potuit.

In picturam.

Anna parens, cui cœleſtem ſperare nepotem
Contigit, intactæ virginis Anna parens:
Vt tandem te te meliori in ſede locares,
Credibile eſt artes edidiciſſe nouas.
Scilicet obſcœnæ ſemper conuicia turbæ
Et ſcelera antiqui perpetiar domini?
Vix hæc: & medicas inuadis protinus artes.
Nec mora, iam cæcis lumina reſtituis.
Accurrunt ægri, complentur compita rhedis,
Occupat anguſtas ſedula turba vias.
Ecce in quo picta es paries excinditur, & te
Accipit hoſpitio nata benigna pio.
Nimirum ſapis Anna, hoc contulit ipſa ſenectus:
Haud aliter poteras hac caruiſſe domo.

*

In Catonis laudem.

Quæ tegit extinctum cum libertate Catonem,
Inſultat tumulis Cæſar arena tuis.

De Homero in Latinum verſo.

Quid ſeptem de uate ſacro contenditis vrbes?
Ecce poteſt ciuem dicere Roma ſuum.
At vos aut noſtrum, ſi fas, aufert Maronem,

Aut

Aut alium vobis quærite Meoniden.

In tumulum Assanii.

Tu, qui disiectos artus, inhumataque furtim
Assanij occulto membra refers tumulo.
Macte animi pietate, tamen nihil irrita busti
Gloria tam claros afferat ad cineres:
Quandoquidem voluit potius sic sparsa iacere,
Quàm cadere ad tristes nobilis vmbra rogos,
Nunc late exigui fines egressa sepulcri,
Eoum fama verberat Oceanum.
Contempsit dulcemque animam, floremq; iuuẽta,
Sanguine vt agnato dedecus elueret.
Cumque hausit sæui stricto latus ense tyranni.
Laudem obitu statuit quærere, non tumulum.
Quodque magis mirere, hilaris, ridensq; cruentos
Carnificis cultros cernere sustinuit.
Dissimulet patriam, taceat nomenque, genusque:
Qui facit hoc, dicit se Lacedæmonium.

In tumulum Caudolæ.

Heu quæ te rigidi rapuit vis effera fati,
Quis matri miseræ tot peperit lacrymas
Flos veterũ Caudola virum? tibi mœsta sepulcrũ
Illa dedit, tristes Actius hos titulos,
Hos titulos, qui te nigras descendere ad vmbras,
Obduci Stygia non patiantur aqua.
Tempora miretur quiuis sua: talis Achilles,
Talis, cum caderet, Martius Hector erat,
I precor, i nullos non durature per annos,
Nestoreos qui iam viuere dignus eras.

In Leonem quendam

Sumere maternis titulos cum posset ab vrsis
Caculus hic noster, maluit esse Leo.
Quid tibi cum magno comune est Talpa Leone?
Non cadit in turpes nobilis ira feras.
Ipse licet cupias animos simulare Leonis:
Non lupus hoc genitor, non sinit vrsa parens.
Ergo aliud tibi prorsus habendũ est Cacule nomen:
Nam cuncta vt possis, non potes esse Leo.

Hymnus ad S. Nazarium

Nazari heu quis me tibi ad hanc supermi
Littoris ripam, quis ad hos putasset
Tethyos fluctus, quis ad has daturum
Thura paludes?
Post tot emensos pelago labores,
Tot pererratos populos, sub ipso
Fine terrarum datur ecce amicum
Cernere numen.
Ergo in exstremis pater alme terris
Barbaræ norunt tua sacra gentes
Qua latus dextrum Liger *æstuosis*
Obijcit vndis.
Iamque & Aulercos genus acre, & ipsos
Cernis ad te Lexouios citato
Essedo, & picta volitare flauos
Puppe britannos.
O mihi semper geniale cœli
Sydus, o famæ decus omne nostræ,
Autor o idem mihi gentis, & spi-
rabilis auræ.
Se tibi debet proauorum origo, &

Sanguinis

Sanguinis si sunt decora vlla nostri:
Debet & præsens genus, & futurum,
Debet & hæc lux
Sacra, quæ magnum mihi prima solem
Obtulit nascenti, & inane aperti
Aeris, pulcrosque micantis ethræ
Tot simul ignes.
Hinc tuis per me dare grata templis
Munera, hinc natalitias coronas
Annuis sueuit sociare sertis
Dum fuit hæc sors.
Nunc in ignotis vagor ecce campis
Regis heu chari exilium secutus,
Dum fides, & fas & amor, piusque
Me rapit ardor.
I puer, buxum nemore è propinquo
Collige, & si quas tibi littus offert
Quercuum frondes: celebrare mœstum
Sic iuuat annum.
O vbi dulces patriæ recessus
Abluis Sebethe loca illa myrto
Consita, o qui Pausilypi virentes
Det mihi citros.
Qua tuum labens maris vnda fontem
Margines parui minuit sacelli,
Nostrum opus, quo se recreet quotannis
Læta iuuentus.
Quæ tibi sacris operata arenis,
Frondibus remos, celeresque cymbas
Ornat, & forsan mea nunc, vt olim,
Dona requirit.

Heu

Heu pater, cur heu mihi ad institutos
Non licet, iam iam properare cursus?
Cur vetor templis, & adesse ludi
Rete dicatis?
Sit satis ventos tolerasse, & imbres,
Ac minas fatorum, hominumque fraudes:
Da pater tecto salientem auito
Cernere fumum.

*

Ad animum suum.

Arsisti, & miseras consumpsit flamma medullas,
Aridaque in cineres ossa abiere leues:
Fleuisti, roremque oculi fudere perennem,
Sebethus lacrymis creuit & ipse tuis:
Ardendi flendique igitur quæ tanta cupido est?
O anime, exequias disce timere tuas;
Neue iterũ tua damna, iterum tua funera quæras
Sirenum scopulos præteriisse iuuet.

*

Hymnus beato Gaudioso.

Gaudete cœtus virginum
Plenas habentes lampadas.
Sponsus sacras ad nuptias
Venit repente: surgite,
Venit serenus Lucifer,
Nocturna pellens sidera;
Optata lux solennibus
Adest dicata gaudiis,
Lux clara, qua fugans nigram
Mundi sator caliginem,
Vestri latere gloriam

Patris

Patris diu non passus est,
Qua Gaudiosi segmina,
Tot inreperta seculi,
Suis videnda ciuibus,
Diues retexit vrnula.
O ter beate & amplius
Lapis pusille, qui tuo
Tanti verendum præsulis
Sinu recondis puluerem,
Præsul sed ò beatior,
Claræ decus Neapolis,
Tuæ benignus patriæ
Fer Gaudiose gaudia.
Adsit fides, & veritas,
Adsit probata castitas:
Morbos, famem, pericula
Tuis repelle mœnibus,
Ergo tibi sit gloria
Inseparata Trinitas,
Verbum, Paterq́; & Spiritus,
Qui condidistis omnia.

De eodem ad vesperas.

Audiat surgens pariter, cadensq;
Sol tuas laudes, meritosq́; honores,
Vrbis ò nostræ columen, tuaq;
Gloria gentis.
Audiat cœlum, mare, terra, & aer,
Annuos ritus tibi dum nouamus,
Dũ damus flammis adolenda sacris,
Thura per aras,
Huc ades festa redimite fronde,

Cœli

Cœlitum plausus, choreasq; linquens,
Et tuam sedem, tua Gaudiose
Ossa reuise:
Ossa, quæ longa tumuli sub umbra
Abdita, ignaras latuere gentes,
Nocte mox pulsa redeunt apertas
Lucis in auras.
Hic dies nobis celeber, precamur,
Lætior semper redeat, nec vllos
Hostium motus ferat, aut maligni
Syderis æstus.
Da tuis longam venerande pacem
Ciuibus, da perpetuos honores,
Da bonam montem, superiq; plenos
Luminis haustus.
Iusta poscentes animos benignus
Adiuua, iniustos moderare sensus,
Sentiat per te patuisse castis
Aethera votis.
Laus tibi cœli Pater, atq; princeps,
Omnium rector simul & creator,
Quem fides veri studiosa trinum
Credit, & vnum.

Ad S. Nazarium

Diue, cui vasti metuenda ponti
Vis, & iratæ famulantur undæ,
Quem per & spumas gradientem, & æstus
Nauta vocauit,
Ah miser pœnas pelago daturus,
Cum niger circum streperet procellis
Auster, & turbata minax ferret
Sidera fluctus:

Te, mihi sanctum, patriumque numen.
Te canam gentis columen Latinæ,
Auream prolem patris Africani,
Perpetuæque
Matris heu vulnus graue, dum relictis
Tybridis ripis, Italoque cœlo
Sponte trans Rhœtos iter, & niuosas
Arripis Alpes,
Lacte depulsus, velut ille, primi
Quem rapit cursus generosus ardor
Pullus, & matrem fugit, & rapaceis
Transilit amnes.
Mox & ad Rhenum, horribilesque tendit
Treuerum gentes animosus hospes,
Morte festinans capere inuidendæ
Præmia palmæ.
Hic, vbi è charæ gremio parentis,
Iam necis magnæ comitem futurum,
Excipis celsum pater, & salubri
Perluis vnda.
Perluis totas, mora nulla, & vrbes:
Vndique exhaustis properatur agris:
Barbaros gaudent Dryadæ sacrorum
Ponere ritus.
Nazari nomen, meritique famam
Audiit, si quem Liger in remotis
Occulit ripis, refugove inundat
Sequana cursu.
Te neque iniusti rabies Neronis,
Impios iam iam minitantis ignes,
Non per exertos Anolinus vrgens
Terruit enses.

MARIÆ GARLONIAE GRAPPINÆ.

PROPAGO formosæ arboris
  Formosa virgo, quæ vagos
  Inter orta Cupidines,
  Veris lilia vincis,
Rosásque molles, & croci
  Pulchre rubentis igneum
  Florẽ, & vuidulas comas
  Halantis hyacinthi:
Redisti auitos ad lares,
  Felicem ocellulis tuis
  Redditura Neapolim,
  Charo adnixa marito:
Redisti ad optatos choros
  Aequalium, & probos sinus
  Matris, ac bene cognitũ
  Fratris dulcis amorem.
Quis o, quis hunc albo mihi
  Signet idem lapillulo?
  Quis Sabæa calentibus
  Addat munera flammis?

Vocanda Musarum cohors
Huc huc benigna, & abditam
Barbiton cape, myrteis
Frontem vincta coronis
Thalia: quid dignum tuo
Promus fauore? quid bona
Voce vel fidibus student
Respondere sorores?

*

Procul facessant hinc male
Secli pudor, libidines
Mi sat est, minuat graues
Si Garlonia curas.
Iuuenta cur me tam cito
Ludendo inepta deseris?
Hac erat facies nouis
Non fraudanda libellis.

Ad Cassandram

Quarta Charis, decima es mihi Pieris, *altera Cypris,*
Cassandra vna coris addita diua tribus.

Se fidem seruaturum.

Si post fata nouos animas errare per artus
Vera docent Samij dogmata nota senis,
Nec pote mens eadem mutari, seu ferus altis
Erret aper syluis, seu vaga cantet auis:
Ipse ego (mens quoniam est vni seruire puellæ)
Exurgam mœstis turtur ab exequiis.

*

Ad Federicum.

Litibus abstinui semper, mihi testis Appollo *est,*
Et Musæ, *& studijs ocia grata meis.*

Nunc

Nunc me nescio quis per tristia iurgia versat
Scotius, & rauci cogit ad arma fori
Et fateor magnus pulsis Rex inclyte Gallis:
Pelle etiam Scotos, & mihi maior eris.

Ad Eunum.

Quicquid erat tripodum Cumis, Delphisq;, petisti,
Discere fortunam dum cupis Eune *tuam.*
At Deus, Extabis supra Regesque, Ducesque,
Veridico tandem rettulit ore tibi.
Tu tamen hinc vanos sumpsisti Graecule fastus:
Iam magni dominus, iam pater orbis eras.
Ecce crucem ascẽdis. non te Deus Eune fefellit:
Omnia sunt crepidis inferiora tuis.

FINIS.

CARMINA SELECTA ILLVSTRIVM POETARVM ITALORVM

EX PRIMO TOMO

IO: MATTHÆI TOSCANI.

EX EPISTOLA M. A. MVRETI ad D. Lambinum.

HIc ille H. Amaltheus eſt quem tibi affirmaui, magisq; & magis affirmo, omnium qui hodie viuant Italorum, quos ego quidem nouerim, prẹſtantiſſimum eſſe poetam, eundemque medicum ὐ τῶν τυχόντων, imo, ut ille ait, *πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. & quæ ſequuntur.*

IO. MA. TOSCANI De Hieronymo Amaltheo Poeta, & Medico.

VT mentes hominum ſolaris dulcibus ægras
Verbis, ſic herbis languida membra iuuas.
Vna manus citharæ neruos, neruoſque virorum
Sedula concordi temperat harmonia.

Quattuor ut chordæ sunt, ut discrimina vocum
Quattuor, in quibus ars musica tota viget,
Bisque duo hæc, nerui, numeri, candorque, leposq́;
Viuere plus vna carmina luce iubent;
Corpora sic totidem ex humoribus atque elemẽtis
Constant, Pæoniæ est in quibus artis opus.
Quæ cum felici tractes Hieronyme cura,
E gemina geminus vi tibi surgit honos;
Sed dispar: peritura etenim qui corpora seruas,
Carmina perpetuo non peritura facis.

AD PIVM IIII. PONT. MAX.

LVcidus ille Aries, fuluo cui tergus amictu,
Cui geminum cornu cælo scintillat ab alto,
Hactenus intonso tulit aurea vellera dorso,
Nec spolijs vnquam splendentibus exuit armos.
At postquam tenuere PIVM *Capitolia, postquã*
Voce PIVM *ingenti mentis respondit imago,*
Quo latium exultet, quo Rege superbiat orbis,
Diuinæ quæ pensa trahunt fatalia Parcæ
Cælituum monitus & grandia iussa sequutæ
Fulgentes secuere iubas, secuere beatum
Vellus, & aurato viduarunt tegmine dorsum.
Nec mora nobilibus pensis, ac diuite lana
Centum inuoluentes operosis orbibus orbes
Fatalem cinxere colum, digitisque micantem
Dum redigunt in fila globum, nent longius æuum:
Nent fortunatos inuicti Principis annos,
Et seram numerosa trahunt per lustra senectam.

Dumque agilem celeri torquent vertigine fusum,
Stamina purpureis scintillant morsa labellis,
Tortaque lucentes iaculantur pensa fauillas:
Et circum insolito cælum fulgore coruscat.
At Lachesis, cui scire datum est arcana Deorum,
Testatur pretiosa PIO sub rege reuerti
Sæcula, qui Latium belli formidine soluat,
Et ferrum effrenos, & cladem vertat in Indos.
Salue ingens pietate heros Dijs æmule salue,
Limina qui nitidi reseras argentea Cæli.
Et caligantis fauces occludis Auernis,
Te duce cana fides, Solymas vexilla per oras
Trans Gangem attollet, trās diuitis arua Canopi.
Iam video oblitis trepidum dare terga pharetris
Regnatorem Asiæ; & Scythicis sese abdere syluis.
Non illum fugientem hyemes, non inuia montis
Fragmina non rupi pontes, non flumina sistunt:
Sed pernicis equi stimulans calcaribus armos
Fertur in occultas per inhospita lustra latebras:
Dum Syrios Italo compleri milite campos.
Dum trabibus cingi circumspicit Hellespontum.
Sentit, & irato te fulmine pene sequentem.
O septem gaudete arces, gaudete Latinæ
Naiades, Etrusci colitis quæ Tibridis amnem.
Vrbibus Eois, totoque oriente subacto
Victrices Romanæ acies ad vestra redibunt
Littora, & antiqui Latio reddentur honores,
O quæ, magne Heros, o quæ felicia surgent
Tempora cum gemino creti sub cardine reges
Et qua sol rutilum ponto caput exerit, & qua
Senis in optatæ gremio se Tethyos abdit

Ad tiberim vnanimes, ad caſta altaria current,
Vt ſacrum accipiant ſupremo in vertice rorem,
Et ſubmiſſa tuis affigant oſcula plantis:
Tum mihi fatalem ſi nondum è vertice crinem
Perſephone abſtulerit, fidibus mea Muſa canoris
Dulcibus implebit reſonas concentibus auras,
Dum canet, vt profugam reuocaris ad otia pacem:
Vt fœcunda Ceres te principe onuſta recludat
Horrea, vt immenſas concedat prodiga meſſes:
Et vacuas liber ſitientibus impleat vrnas.
Ipſa etiam irriguos mecum ſpatiata per hortos
Pœonias gremio Nais tibi colliget herbas,
Quas formoſa ſalus medicos cuſtodit in vſus.
Attu fragrantes ne deſpice Pœonis herbas,
Textilibus calathis quas porriget obuia virgo,
His funeſta procul pelles contagia donis,
Et florente diu ſoſpes potiere ſenecta.
Hac autem, hæc illa eſt dijs non incognita virgo,
Quæ ſonitus Curetum inter per deuia Creta
Regem aluit ſuperum felicis lacte capella:
Cum tener in cunis ſacra vagiret in Ida:
Et nunc illa eadem te pectine cantat eburno.
Sed quid ego ò nentes vitalia penſa puellæ,
Aſpicio his oculis? decreſcunt ſtamina, dum vos
Aſſiduo nimium veſtitis pollice fuſum.
Nete Dea optati paulatim Principis annos,
Et lenta tenuate manu tam nobile vellus,
Et trahite ad ſeros hæc aurea ſæcla nepotes.

AD MAXIMILIANVM tunc Boemiæ Regem, nunc Imperatorem.

O Quæ rotatu vecta volubili
Vstis ab Indis ad gelidos Scythas
Nunc blandienti, nunc minaci
Cuncta supercilio coerces:
Ne me per altos diuitis Antij
Regina montes, ne per inhospitas
Me coge valles fabulosam
Hinc Panacem legere hic Cyperũ:
Vt insalubri qui lue tabuit,
Formidolosæ vim fugiat necis,
Audente me leges Deorum
Pæonio violare succo.
O mentis expers Iapeti genus,
Mutanda nullo est consilio dies,
Quam fata nobis dormiendam
Perpetuo statuere somno.
Fallacis ergo Pæonis ars vale:
Obliuioso sat mea torpuit
Fides veterno: nunc canoros
Tange Erato numerosa neruos.
Longumque rumpens voce silentium
Nulli secundum concine Principem,
Seu malit armis, seu sagaci
Consilio superare malit:
Quem nunc canhelo pectore Norici
Lugent morantem finibus exteris,

Quem mille votis septicornem
Vindelici reuocant ad Istrum.
O solue Ibero carbasa littore,
Et luctuosas maxime Principum
Solare gentes. & paternos
Exhilara reditu penates.
Qualis reducens post tenebras diem
Sol nigriorem discutit aera,
Regumque Iunonis serenat,
Nubibus exiliens fugatis:
Talis reuersus cardine ab Hespero
Subiecta septem regna trionibus
Caliginosa nocte solues
Maior auis, atauisque maior.
Tu bellicosas frangere fraxinos,
Tu doctus ensem flectere Noricum
Vrbes subactas, iusque auitum
Eripies Asiæ tyranno.
Tu rursus vrbis Martia Romulæ
Vexilla tolles, subiiciens tibi
Sol quicquid ambit, quicquid vrnis
Vberibus lauit Amphitrite
Quod si superstes muneribus fruar
Vitalis auræ, me fide Lesbia
Iuuabit & prædas, & hostes
Dicere compedibus reuinctos.
Te Rege latus dum Capitolio
Parebit orbis, dulci ego pectine
Molles in amplexus euntem
Nereidum Tiberim reflectam.
Sic saxa quondam Threicium ferunt

Sequuta vatem, dum per inhospitas
Rupes, ademptam dum per imas
Quæreret Eurydicem latebras:
Qui postquam Auerni constitit ad fores
Et cor ahenum liniit Aeaci,
Flexitque suspensis bibentes
Auribus Eumenides querelam,
Heu legis amens immemor, & sui
Effudit altas frustra iterum preces,
Frustra reuertentem puellam
Ad tenebras iterum secutus
Quam mox niuali fleuit in Ismaro,
Fleuit sub Hæmi cautibus horridis,
Seu ferret atras vesper vmbras,
Siue diem veniens Eous.
At tum occupauit plectra silentium:
Insanientum cum Ciconum furor
Sparsit cruenti membra vatis
Stipitibus lacerata quernis.
Cum lingua sacris faucibus eruta
Futura mergis esca voracibus
Ter visa flecti, ter sub Hebro
Ah miseram Eurydicem vocauit.
Sed siste inanem barbite næniam.
Nunc in beatis Thracius insulis
Exultat heros, & repertæ
Coniugis in gremio recumbit.
Quin Martialem dic potius ducem
Illustriori carmine, quem legat
Aetas nepotum, donec Atlas
Orbis onus graue sustinebit.

AD CAROLVM BORROMAEVM CARDINALEM.

Immensi dum molem orbis celsi instar Atlantis
In vaticana sustinet arce Pius,
Herculeo tu more humeros suppone labori,
Et validis fesso viribus affer opem.
Magne heros assuesce oneri iuuenilibus annis
Longæuo imponent quod tibi fata seni.

Ad Michaelem Turrium.

Mille tibi Doris seruat conchylia ponto,
Mille tibi in silua pascit Ianthis oues.
Vt, cum olim proceresque inter, gentemque togatã
Te gremio accipiet martia Roma suo,
Altera nympharum tibi vellera tondeat vni,
Altera Sidonio murice tingat oues.

Epitaphium Philomelæ.

Lenierat Ditis querulis concentibus aures,
Garrula trans Lethen dum veheretur auis.
Annueratque illi captus dulcedine vocis
Aeacus illicitam posse redire viam.
Et iam vitales iterum rediisset in oras,
Remigium alarum ni lapis opprimeret.

Valerio Superchio medico.

Illa adeo formosa Salus, qua nulla Dearum est
Gratior Eois, gratior Hesperiis.

Mille tibi Valeri collegit Paonis herbas:
Quas tepidus primo vere tulit Zephyrus.
E quibus vt rores possis haurire salubres,
Gutta sub imposito stillat odora foco.
Et iubet, vt discedat edax è corpore languor,
Te pereunte vno ne medica ars pereat.

CORNELII AMALTHEI ODE.

AD PIVM. IIII. PONT. MAX.

QVid curæ iniquæ, ac solicitudines
Arcetis vndis me Aonidum procul?
Et corde abite, & mente abite,
Vt vacuus citharam resanem.
Me Vaticani vt verticibus iuuat
Magnum Quiritum dicere Principem.
Tu labra nobis docta Clio
Prolue Castalio liquore.
Quis o, quis vnquam te sine concinat,
Quæ non Arion pectine Lesbio,
Non ipse digne posset Orpheus
Threicio celebrare plectro?
Vt virgo, in hortis dum calathos parat
Implere pictis floribus, ambigit
Rosas ne molles, an ligustra,

An violas prius vngue carpat:
Sic quisquis ardet Pierijs modis
Te ferre cælo Rex hominum, & pater,
Quid ante dicat, post ve nescit:
Tantus honos viget, atque virtus.
Tu clari Olympi nutu aperis fores
Et regna Ditis, tristia Tartara,
Occludis, ac manes profundos
Eripis Eumenidum flagellis
Tu Sæua Martis bella minantia
Cædemq;, p̄stemque, & miseram famē
Tellure propulsas ab omni:
Ac populis tribuis quietem.
Hinc alma Pax, hinc Relligio, & Fides,
Instar nitentis Luciferi, emicant.
Hinc aurea è pensis reducunt
Secla tibi triplices sorores.
Iam dulce nectar defluit amnibus,
Et mella stillant è Iouis arbore:
Iam fruge sese, floribusque
Perpetuis humus ipsa vestit.
Hunc ergo tandem, progenies Deum,
Astræa cæli labere sedibus:
Non hic Lycaon, qui nefandis
Decipiat dapibus Tonantem.
Non execrata, quæ iugulet manu
Medea partus, aut Pelopis genus.
Non arce ab alia qui laboret
Trudere cælicolas Typhoeus.

IO. BAPTISTAE AMALTHEI
In Philomelam.

PICTA sinus, auroque leues interlita pennas,
Fingebat vario gutture carmen auis.
Et dulci clamore diem, roseamque vocabat
Auroram inuito coniugis e gremio:
Quam nunc extremo tumuli donauit honore,
Et sparsit viola, sparsit Acon lacryma.
Forsan adhuc humili cantus meditaris ab vrna,
Sed reprimit cantus inuida terra tuos.

DE FRAN. MARIO MOLSA,
ex Elogijs Pauli Iouii.

Marius Molsa Mutinensis, eximiũ atq; habile ad Poeticam ingeniũ a natura cõsequutus Latinis Elegis & Etruscis rythmis pari gratia ludẽdo musas exercuit, tãta quidem omniũ commẽdatione, vt p triginta annos, qui Romæ Mæcecenatis nomẽ tulere, insigni liberalitate studioq; adiutũ adipiscẽdis honorib⁹ efferre cõtẽderint, *& infra*, sẽpiternã vero ingenij laudẽ retulit, nõ à iucũdo tantũ carmine, sed pedestri ẽt grauiq; facũdia, qua Laurẽtiũ Medicẽ nefaria libidine antiquis statuis noctu illustria capita detrahentẽ apud Ro. ab ea iniuria dolore pcitos accusauit.

M. Antonij Flaminij.

Postera dum numeros dulces mirabitur ætas
Siue Tibulle tuos, siue Petrarca tuos,
Tu quoq; MOLSA pari semper celebrabere fama
Aut potius titulo duplice maior eris.
Quicquid enim laudis dedit inclyta Musa duobus
Vatibus hoc vni donat habere tibi.

IO. MATTHAEI TOSCANI.

Tam lepido Tuscas coluisti carmine musas,
Itala quo studio tota iuuenta calet,
Tam docte citharam pulsasti MOLSA Latinam
Quam vetera aptarunt sęcula, nostra colunt:
Vt decus Ausonię merito dicare Camœnę
Illustrasse nouum, restituisse vetus.

F. MARIAE MOLSAE

AD ALEXANDRVM FARNESIVM Cardinalem.

CVRARVM ingenti Paulus dum mole repulsa
Se solis fessum colligit vsque locis,
Et modo in Herculei delatus Tiburis arces,
Damnata ęstiuo deserit arua cane.
Aut intempestę surgunt quo monte Graiscę,
Sedisse argutas sustinet inter aues.
Et validus metas vltra, sortemque senectę
Communi nescit conditione premi.
Tu gressum comitatus aui pulcherrime, tecum
Vota virum defers, publica vota virum.
Suspensamque diu variis terroribus vrbem,
Absentem dum te cogitat, vnus habes.
Ipsa etiam latos Pallas demigrat in agros,
Et tecum, posita Gorgone, rura colit.
Quemq; graucis iuuenẽ mox est ductura per artes,
Musa

Musarum sanctos gaudet inire choros.
Atque sub Aonia recubantem detinet vmbra,
  Qua tibi trita olim culte Tibulle via est.
Interdum magni lætum in secreta Maronis
  Deducit, lateri subsequiturque comes,
Suggerit aut solers puri tibi carmina vatis,
  Olim Phœbea carmina fusa lyra.
Scilicet his tenero sensim præludit alumno,
  Quem properat castris præposuisse suis.
Illic principijs disces quibus omnia constent,
  Ortaque quis coeant, dissiliantque modis,
Nocturnisque simul naturam intexere chartis,
  Res erit ingenio non operosa tuo.
Sed neque Socraticis renues de fontibus haustus:
  Quo tua fertilibus ora rigentur aquis.
Hinc felix toto domum spatiabere cælo,
  Vnde vices rerum tempus in omne fluunt.
Tunc, quæ stelliferos ingens vis torqueat orbes,
  Noscere, perque altas ætheris ire vias,
Extremum fuerit munus, terrisque relictis
  Astra super fulgens exeruisse caput.
Dum licet, absentem doctæ celebrate sorores,
  Vrbe illi est Pallas sola futura comes.
Has auus ad metas primis se exercuit annis:
  Et tibi, quos superes, leniјt ante gradus.
Qui pendentem a se merito nunc aspicit orbem:
  Et diuisa alto cum Ioue sceptra tenet.
Quàm bene Tarpeium fulsistis numina saxum,
  Illa quæ terris præfuit ipse, die.
Nutabat patrum sententia, nec satis vllus,
  Imperio dignus qui videretur, erat.

Acri summatum studio sibi quisque petebat,
Et regni cunctos sollicitabat amor.
Obnixique animo inter se non cedere, septis
Vix bene se admorant, intulerantque pedem,
Cum Paulli species cunctis augustior hæsit,
Quam possent oculi, cordaque ferre patrum.
Quæque illi custos oculis afflarat honores.
Composuit motus dia Minerua truces.
Aueea sic illi medio stetit agmine sella,
Atque dedit victas sacra caterua manus.
Sic sæua immites miscent cum prælia venti,
Seu Zephyrum Boreas, seu premis Eure Notum
Vndarum si forte parens caput extulit antro,
Iræ subsidunt, & freta dira silent.
Ipse leui circumvolitans vasta æquora curru,
Concita subiectis marmora mulcet aquis.
Nil vnquam studijs æque est concordibus actum,
Vt cunctos vna mente fuisse putes,
Et merito: tantos quis enim componere fluctus
Bellorum victor Marte furente queat?
Quis dextram euerso Clemens nunc tenderet orbi,
Aut tantis posset inuigilare malis?
At tu magne puer, terris susceptæ regendis,
Olim cum cæli templa tenebit auus,
Ex illo virtutem hauri, verumque laborem:
Teque illi similem, qua potes arte, velis.
Vt tenero agnoscens se in vultu, tempora cernat
Ipsa iterum per te lapsa redisse sibi

AD BENEDICTVM ACCOLTVM CARD.

Me tenet inuitum (fieri quod posse negabam)
Romani genius mi Benedicte soli.
Nam quoties animo spatia interiecta recursant:
Disiuncti queis nunc cogimur esse procul:
Non mihi Phaacum dentur si mollia rura:
Quidquid & Alcinoo parturit almus ager:
Vlla queant agrotum animum deducere Tempe:
Nec sine te regum commoda magna iuuant.
Scilicet illa in me reciderunt fulmina dextra,
Qua Vaticano sunt modo torta Ioue.
Cum tibi mille acies, intentaq; pectore tela
Vna animi virtus repulit alma tui.
Mox contemptor opum, nullo non vulnere pressus
Fortuna, Eridani pinguia culta petis:
Aemula qua magna surgit Ferraria Roma,
Hospitio tellus facta beata tuo.
Herculis hic primum vultu, dextraque petitus
Naufragij tabulas colligis ipse tui.
Atque opibus tanti subnixus principis, idem,
Qui fueras, rebus incipis esse bonis.
Ambustum Phaethonta olim sic gurgite molli,
Os sacrum attollens, excipit Eridanus:
Vulneraque exiccat, lymphis, muscoque virenti,
Membra prius crebris ictibus vsta fouet.
Cõueniẽt virides passim antra ad cognita nympha:
Fidentemque nimis suscipiunt puerum.
Ille animam reuomens, & sacros fulminis ignes,

Vndosam complet sulphure, & igne domum.
Tum pater Eridanus fatorum arcana resoluens:
Innixus cubito talia verba dedit.
Tempus erit, magnus nostra hæc cũ littora adibit
Hospes, fulminea tactus & ipse face:
Qui secum Phœbumque vehat, Phœbiq; sorores:
Et doctæ quidquid Pallados ora sonant.
O ego tunc quantis assurgam fluctibus ingens,
Arduus vt cælo cornua summa feram.
Creta Iouem iactet, Latonæ pignora Delos,
Accoltus longum littora nostra colat.
Hactenus Eridanus. faciles quæ dicta puellæ
Certatim densis plausibus excipiunt.
Ipse pater leni compescens murmure fluctus,
Cærula pacatis marmora findit aquis.
Fortunate, tuos iam tum præsensit honores,
Flammatum ablueret cũ Phaethonta Padus.
At mihi iucundæ perstent si tempora vitæ,
Abstineantque auidas inuida fata manus:
Qualis apis, verni species cum temporis egit
Trans pontum, celeri frigore pulsa fuga,
Crura thymo redolens, florũ per summa vagatur,
Compleat vt dulces, cerea texta, fauos,
Talis ego Aoniis musarum operatus in antris,
Intexam chartis te Benedicte meis.
Quod si me tenebris suprema obduxerit hora,
Et motos cineres flebilis vrna teget:
Laudibus ipse tuis felix, auoque fruare.
Et Pylij superes stamina lenta senis.
Nostraque præteriens magnus dic busta sacerdos,
Huic misero fatum sors mea dira fuit.

IN PAVLVM III. PONT. MAX.

ASpice, dum rapidis sæuit feruoribus æquor,
Vt medio fregit se calor ipse die,
Vt molles spirant Zephyris felicibus auræ,
Dulcius & solito murmurat omne nemus:
Vtq; si oblitus, flammis quæ exusserat ante,
Iam reficit pulsa Seirius arua siti.
Ipse pater dempto tandem luctamine Tibris
Labitur, & placida se trahit amnis aqua:
Et, qua vix vlli poterant procedere remi,
Transuolitat nullo remige nixa ratis.
Quin mihi, quæ toto musas Helicone cienti
Vix poterat iustis verba coire modis,
In versum coniecta fluunt, subitoq; calore,
Non accersito cuncta nitore cadunt.
Scilicet ipsa parens rerumque & prouida fati,
Venturæ pacis omnia certa dedit.
Dij Latias tutantur opes, et præside PAVLO
Despicit hostiles Itala terra minas.
Non ille æstiuumq; canem, non torrida Cancri
Sidera, non longas extimuitque vias.
Dura nec infirmæ properant dum fata senectæ,
Inuitum longa detinuere mora.
Sed tandem diris confectum vt cladibus orbem
Subleuet, & certa fœdera iungat ope,
Non piget ignotis vitam traducere terris,
Aut trabe piscosum sollicitare fretum.
Dant cædes: dant bella locum, positoque flagello
Bellona inuisa commoda pacis amat.

Et quoqunque caput canis venerabile præfert,
Candida bone subit, subsequi turque quies.
Nempe erat hoc, tota nuper quod Iuppiter vrbe
Intonuit læuum, certaque signa dedit:
Et capitolinas iaculatus fulmine sedes.
Deuouit telis bella cruenta suis.
Diuinam agnouit vocem, monitusque deorum,
Mente homines PAVLVS qua super vnus abit.
Moxque deo plenus cunctis retinentibus, vrbis
Sustinuit lacrymas posse videre suæ.
Visendi studio concurrunt vndique gentes.
Exoptat reditus & sibi quisque bonos,
Vtque alios seruet, nullis non fluctibus illum
Obiectare sacrum flentque timentq; caput:
Quodque senex obeat tantum telluris, honorum
Decernunt omnes huic merito titulos.
Lætus Alexander, magnæ spes altera Romæ,
Ad latus it tanto conspiciendus auo:
Et cunctos inter sidus iuuenile refulget:
Qualis ab æquoreis Lucifer ardet aquis.
Contudit ista truces animos clementia regum,
Et tardat promptas ad fera bella manus.
Hinc tantum venerata virum gens effera quæque
Admitti ad sacros orat, auetque pedes.
Hinc prono exposcit pacem diademate Gallus:
Hinc ferrum in suos vertis Ibere Scythas.
Vos, quibus est odium vallum gestare, sudemquu,
Et galeam nitidam sumere fontis aquam,
Longinquis voti compos dum Paullus ab oris
Optatos vultus, oraque sacra refert,
Dicere iam reduci meritas accingite laudes:

Nomen

Nomen & absentis concelebrasse iuuet.
Perque vias turis passim incendantur honores,
Et velent sanctos florida serta focos:
Exhilarentque dapes, & vina liquentia mensas,
Nec renuat festa quisque madere die:
Inque orbem cyathos referens, non lente minister,
Fac pariter Paullum densa corona sonet.
Huc hades afflictis spes ò fidissima rebus,
Vno quo fulta est publica causa duce:
Vindice quo firmis tandem radicibus hærens,
Libertas magno parta labore viget.
Quam bene, te inuita nuper cum mitteret vrbe,
Arces respexit Iuppiter ipse suas.
Iungite iã tauros pueri, atque incumbite aratris:
Lætaque mollito credite farra solo:
Iucundamque simul palis adiungite vitem,
Vnde etiam nato serior vmbra cadat.
Occupet hostiles vicino milite campos
Squalor, & abducto vomere cesset humus.
Et quem Turca ferox nobis iniecerat, illi
Nunc regerãt tristem classica pulsa metum
Illi ferratos duris incudibus enses
Procudat tristi sedulus arte faber
At nobis placeatque bidens, vomisque probetur.
Et pastorali fistula facta modo.
Tum circum innumera florescant oppida pube:
Insanus ferri qua viduarat amor.
Dii modo felices annos, & candida Paullo
Dispensent larga stamina ducta colo:
Vt toto demum felix Oriente subacto,
Quæ facit ipse alijs, otia longa terat.

AD BENEDICTVM ACCOLTVM CARD.

ECquid (sepositis dum te iuuat optime curis
Hadriacis vitam ducere littoribus,
Et Venetos spectas patres, ausamque superbis
Stare vrbem æternum fluctibus arte notas)
Impositas septem suspiras collibus arces,
Et quæ te ereptum mœnia celsa gemunt?
Illic vel potius doctas componis Athenas:
Quæ quondam toto iura dedere mari?
Romanæ aut relegens prisca exemplaria linguæ,
Cum magno confers iam Cicerone pedem?
Quidquid agas Accolte, *simul mens nostra vagatur.*
Obseruatque, tuos subsequiturque pedes
Et quo tu veheris, vehitur fidissima lembo,
Nec tecum liquidas pernegat ire vias.
Ipse mihi videor nunc te tua fata loquentem
Audire, & casus nunc quoque flere tuos:
Et meminisse, olim quam forti pectore diros
Fulminis afflatus, contuderisque minas:
Territus vtque Mari diuino est cimber ab ore,
Sic Quæsitorem te exstituisse tuum.
Nunc pendere iterum videor scribentis ab ore,
Et bibula dulces imbibere aure modos:
Quos circum exciti ludant delphines in orbem.
Et Phorci assultet curua per antra chorus,
Anne ego, subductis vitæ rationibus, amens
Accolti potero non meminisse mei?

Cuius

Cuius opem expertus toties melioribus annis
Fortunæ potui temnere tela meæ.
Ah potius peream, tali quam crimine turpis
Arguar, & firma non puter esse fide:
Te nostræ referent viuaci carmine musæ:
Ni mi sæua nimis fata fuisse velint.
Tertia nam misero iampridem ducitur æstas,
Ex quo me morbi vis fera corripuit:
Quam lectæ nequeunt, succisue potentibus herbæ
Pellere, nec magico sagæ ministerio.
Vecta nec ipsa Indis nuper felicibus arbor,
Vna tot humanis vsibus apta, iuuat.
Decolor ille meus toto iam corpore sanguis
Aruit: & solitus deserit ora nitor.
Quæ si forte modis spectes pallentia miris,
Esse alium, quam me, tu Benedicte putes.
Quid referam omni ductas sine munere noctes,
Fugerit vtque omnis lumina nostra sopor?
Et toties haustum frustra cereale papauer,
Misceri & medica quidquid ab arte solet?
Sæuit atrox morbi rabies, tenerisque medullis
Hæret, & exhaustis ossibus ossa vorat.
Haud alia Alciden confectum clade superbum,
Oetæo memorant procubuisse iugo:
Illi Nessæo vestis conspersa veneno
Hæsit dira humeris, intepuitque sinu.
Forte Ioui patrias votum sacrarat ad aras,
Extaque iam flammis impositurus erat,
Abdita cum tabes miseros depascitur artus,
Et premit indomitus fortia membra dolor.
Qualis ad Appidanum choreis exercita Mænas

Errat:

Errat, & in molli gramine fessa cadit:
Oechaliæ talis domitor, Iouis inclyta proles,
Concidit, & tristeis dat sine mente sonos.
Nunc ferus exoritur, sæuo nunc frena dolori
Laxat, & ipsa iecur vis generosa petit.
Ah quoties nullo cernens se robore fultum,
Atque lacertorum dispeñiisse toros,
Ingemit: eque imo vellens suspiria corde
Sæpius hæc secum tristia verba refert.
Hæ ne manus raptumque alte, vinclisque petitum,
Tartareum quondam perdomuere canem?
Et toties leto sternendam viribus anguem
Frangere Lernæam non timuere suis.
Brachia Centauros nostra hæc pressere furentes,
Pocula cum feruens vertit in arma Pholus?
Quæ si forte humeris, heu, nunc spectentur ab istis:
Fulta olim nisu quis putet astra meo?
Scilicet vna Oenei vecors me me edita partu
Perdit, & indigna perfida peste necat.
Quique steti Nemees mōstrū cōtra, atq; Erimāthi
Pacaui trucibus vix loca tuta feris,
Feminea absumptus fraude, atq; immanibus ausis,
Vror, & ipsa atro viscera felle madent.
Talia commemorans, tantisq; doloribus impar.
Pallenti tristes ore ciet gemitus.
Consilium donec magno capit Hercule dignum,
Stirpe satum quo mox se probet ætheria.
Ipse pyram properans Oetæi in uertice montis
Excitat, & mœsta fronde coronat humum.
Impositusque rogo rapido se destinat igni,
Et tandem cæli, quæ tulit, astra petit.

Subdidit auersus flammas Pæantius heros,
Præmia cui fortis tela fuere Dei.
Non tamen est moriens Ioles oblitus amorum:
Tantum infixa animo cura Deusque valent.

AD NENRICVM BRITANNIAE

Regem, vxoris repudiatæ nomine

Scilicet hoc titulis deerat Rex maxime nostrts,
Coniugio pactam non tenuisse fidem:
Et, quæ nos sancti vinxerunt fœdera lecti,
Pellicis indigno post habuisse toro.
Dii bene, longinquis tantum quod sæuus in oris
Aggrederis dira conditione nefas.
Hæc semota orbi vasto tibi regna recessu,
Cinctaque dant animos fluctibus arua truces.
Est aliquid, fateor, ventos audire furentes,
Et quæ perpetuo murmura pontus habet.
Larga tui quocunque olim se audacia iactet,
Ingenio similis diceris esse loci.
Non sic Penelopen Ithaca digressus Vlysses
Abrupto potuit linquere coniugio.
Illum non sæua mutarunt pocula Circes,
Tristia nec longæ tempora militiæ.
Sed Diuum acceptus mensis, & diuite lecto,
Prætulit his vultus Penelopea tuos.
Cumque olim posset cælestia templa tenere,
Maluit optato coniugis ore frui.
Affixam saxis patriam sic maximus heros,

Parua lapis quamuis nil nisi nudus erat,
Pratulerat cælos longis erroribus actus
Vt posset casto membra leuare toro.
At mihi nescio qua titulis non æqua maritis,
Subducit lecti dulcia vincla mei.
Possidet & stupro dotalia regna nefando,
Et gerit in gremio commoda nostra suo.
Tu tamen hanc falso prætexens nomine culpam,
Iam famæ narras consuluisse tuæ.
Et fratris mihi sæpe torum, tedasque priores
Obijcis, & vani nomina coniugij:
Cui quondam primis fueram desponsa Hymenæis,
Concordi heu nimium nupta futura domo.
Inuidere meis contraria numina votis:
Numina ad humanas semper auara preces.
Nam ruit ad tedas properans dum læta iuuentus,
Araque Corycio fulget odora croco,
Illibata tibi linquens sua gaudia, manes
Ante diem indigno funere mersus adit.
Sic fratri frater, sic tedis impia flamma,
Sicque toro obrepsit igne micante rogus.
Crede mihi, vanas frustra te vertis ad artes,
Si speras tantum posse latere scelus.
Arbiter ipse orbis Clemens, quo sospite terris
Pax viget, & sancto reddita iura foro,
Criminis admonitus tanti, crudelia dixit
Vota foues nostro terra aliena solo.
Priscorũ & voluens venerãda volumina patrum,
Subscripsit causæ Maximus ille meę.
Perge pater, sanctique pius defende pudoris
Vincula, non ulli dissoluenda viro.

Ipse

Ipse Deus genitorque. & rerum summa potestas
Cuius finitimum crederis esse caput,
Hoc ipsum ut strueret, telas celebrasse iugales
Dicitur, & pictis accubuisse toris:
Pocula cum pingui mutans Acheloia musto,
Cessit ab humana conditione procul.
Silicet has leges, æternaque fœdera sanxit,
Antiquata meo ut coniuge nulla forent?
Et quæ compositis laudauerit ipse libellis;
Improbet inconstans, dissimilisque sui?
Illuuies Germana tume, neu cede furori,
Cui, per quem periit, surgere posse licet.
At non ipsa fori discrimina sæua recuso.
Iudicis innocuus non timet ora pudor.
Non ego sortitus vereor, non ferrea iura:
Te Quæsitorem mi licet vrna ferat.
Sed tibi nullus adest æquus, te iudice, iudex,
Et præiudicio concidis ipse tuo.
Posterior causa sic me iam sæpe priorem
Arguis: atque artes, deficiuntque doli.
Ipsa etiam, quæ te circumstant, perfidè gentes,
Et populi, lata quos ditione premis,
Libera si detur tantum nunc copia fandi.
Te memorant sacram conscelerasse fidem.
Atque odiis forsan consurgant vndique iustis,
Hisque tuis animis præmia digna ferant.
Diraque deuotum poscant ad prælia regem,
Aut celeres properent in tua fata manus.
At tu quam præfers, sæuo male saucius arcu,
Dum censes animo cuncta licere tuo?
Nempe illam, nostros quæ comere sueta capillos,

Sæpius

Sæpius abrepta vulnera sensit acu.
Quę nobis toties liquidis vestigia lymphis
Permulsit, dura nec satis apta manu.
Credita cui fuerat lecti custodia nostri,
Cum te non puduit dicier esse meum.
Forsitan hic referas veteres Briseidos ignes,
Et Telamoniadæ corda subacta ducis.
Thessalus ast forma Briseidos arsit Achilles,
Et Tecmessa toro principe digna fuit.
Altera diuini numeris insignis Homeri,
Nota Sophocleis altera carminibus.
Nunc te quæ moueat facies, quæ gloria morum,
Dispeream, si tu dicere sæue potes.
Sæpe tamen cur sim tibi idonea visa, requiro,
Quam duris per stes ludificasse modis,
Dumque memor repeto priscorũ nomina auorum,
Vix capiunt magnos atria longa duces.
Cæsare nil maius dederant pia numina terris,
Huic tamen e nostro est sanguine ductus honos.
Quid tibi nunc magnis referam me regibus ortam?
Aut iactem antiquæ nomina clara domus?
Vna mihi mater titulos Isabella, genusque
Vna parit, ceras implet & vna graues.
Quæ quondam calathos, telasque exosa Mineruæ,
Martia feminea sustulit arma manu.
Moxque sua fractos sensit sub cuspide reges,
Cæsaque captiuos terga dedisse viros
Exuuijs hinc aucta nouis, hinc aucta triumphis,
Addidit imp rio sceptra superba suo,
Euectæ donec cæli super ardua virtus
Condidit in victo parta sepulcra solo.

Testis

Testis Anas, Sicorisque, vago qua pranatat alueo
Terra potens, fului testis & vnda Tagi.
I nunc, atque tuos nostris componere reges
Aude: compositis fœmina maior erit:
Imparibus ni forte ferox te in fœdera vinclis
Deceptum quondam nostra venire putes.
Ire per æternos placuit mihi matris honores,
Sim licet ipsa vno Cæsare fulta satis.
Qui tamen es tu, quem nostri sic pœnitet oris,
Congressu vt perstes abstinuisse meo?
Reginam thalamis qui sic excludis? & ipsa
Connubii exagitas iura, fidemque premis?
Tecum ego florentes potero sic turpiter annos
Exegisse, doli nec meminisse tui?
Aut ego te in castum polluto corpore florem
Inuasisse viri nomine sustineam,
Pellicis vt vano tandem correptus amore
Exultes spoliis impie virgineis?
Ipsaque cæruleis sim fabula nota Britannis
Et viuo viuens sic ferar orba viro.
O mihi terra satis quænam nunc ima dehiscant:
Quodq; petat summa hoc fulmẽ ab arce caput.
Debueram natæ iugulo demissa cruoris
Flumina luminibus supposuisse tuis.
Et patriis artus sparsos apponere mensis,
Obiicere & sæuis viscera nostra lupis.
Sed, quæ nulla tibi est, pietas crudelibus ausis
Obstitit, & sæuum dextra refugit opus.
Vestra decent tales animorum pectora motus:
Conueniens nostro est mitior ira solo,
Hæc potius viuat, plenis & nubibus annis

Matris ad exemplum nubere cauta neget,
Nata vides, patris genitor te pellere regnis
Nititur: vnde grauis sit tibi inusta nota:
Et matrem fraudare toro, iustisque Hymen ais
Heu, nimium turpi victus amore, parat.
Si tamen hic positis mitescant litibus olim.
Sæuaque det rapidis vota ferenda Notis,
Sola tibi, & tantis seruatis sedibus heres
Suscipias tenera sceptra regenda manu,
Tu faciles sine lite toros, sine lite Hymenæos
Perpetuo summum carmine posce Iouem:
Maternumque animo repetens persæpe dolorem,
In nostro dicas cuncta timere malo.
Tisiphone crinem breuibus redimita colubris
Intulit ardentes in mea damna faces.
Obscœnum & carmen diro ingeminans vlulatu,
Tristia connubijs omina fudit auis.
Ipsa sacros ignes deuouit pronuba Iuno:
Et mihi fœdifraga est Zona soluta manu.
Vestra tamen superi si numina læsa reposcunt
Errorum pœnas, supplicibusque fauent,
Hæc loca vi quondam Cæsar populatus, & igni,
Sæua iugum doceat æquora vestra pati.
Quodque olim potuere dei tela horrida Iuli,
Dum furit, & medio fulminat ille mari,
Cæruleo ostendat frustra vos fidere ponto,
Lætaque nequicquam fluctibus arua tegi.
Cæsaris ista horrent etiam nunc littora nomen,
Quo duce, ni fallor, bis potuere capi.
Ille sibi obiectas ausus transcendere moles
Intentata prius per vada fecit iter.

Et male defensas in prædam feruidus arces
Vertit & obstantes milite fregit opes.
Sic ventos spreuit virtus Romana furentes,
Et gressum ignotis intulit æquoribus
At precibus si quis superest locus, & tua possunt
Inflecti blandis pectora dura sonis:
Deiectas hinc natam oculos, hinc aspice matrem,
Nec pigeat tantis ingemuisse malis,
Aeternum sic læta viris, sic læta puellis,
Tellus subiecto floreat ista mari.
Et mala cuncta ferant per terras irrita venti,
Deprompsit læso quæ mihi corde dolor.
Quod si sola tuo videor non digna cubili,
Et tristi perstas viuere dissidio,
Nec te iura mouent, precibus nec flecteris vllis,
Nec furijs obstat filia parua tuis,
Me duce læta tuæ mittantur nuntia genti:
Henricum titulum mortis habere meæ.
Sedibus vtque tuus genitor gestire sub imis
Possit, deque tuis surgere nominibus:
Audiat vxoris spoliis, & cæde superbum,
Pellicis indigno colla dedisse iugo.
Vos vero vltrices mecum properate sorores
Et miserum diris pellite imaginibus:
Vt neque iam dulci declinet lumina somno,
Nec valeat sanæ mentis habere modum.
Sed flammis cinctæ, quoquo vestigia vertet,
Illuc Tartarea lumina ferte face.

Ad sodales cum morbo graui, & mortifero premeretur.

Vltima iam properant, video, mea fata sodales,
Meque aui metas iam tetigisse monent.
Si foret hic certis morbus sanabilis herbis,
Sensissem medicæ iam miser artis opem.
Si lacrymis, vestrum quis me non luxit? & vltro
Languentem toties non miseratus abit?
Obstruxere aures nostris contraria votis
Numina & hæc ventos irrita ferre iubent.
Vos mihi, quos olim colui, dum fata sinebant
Vltima iam cineri dona parate meo.
Vobiscum labor hic fuerit, quando his procul oris.
Ignara heu nostri funeris, vxor abest:
Vxor abest, nostrique diu studiosa videndi
Pro reditu patrijs dona vouet laribus.
Hæc potuit præsens, nato comitata, feretrum
Floribus, & multa composuisse rosa:
Et niuei lactis fontes libasse, merique,
Coniugis vt manes spargere mæsta queat.
At, qui me extrema compellet voce sodalem,
Et claudat teneræ lumina nostra manu
Et fugientem animam supremæ exceperit hora,
Hoc vos communi pro pietate rogo.
Non operosa peto titulos mihi marmora ponant
Nostra sed accipiat fictilis ossa cadus:
Exceptet gremio quæ mox placidissima tellus:
Immites possint ne nocuisse feræ.
Riuulus hæc circum dissectus obambulet, vnda

Cliuoso qualis tramite ducta sonat.
Exiguis stet casa notis super ossa sepulta,
Nomen & his seruet parua tabella meum
Hic iacet ante annos crudeli tabe peremptus
Molsa. ter iniecto puluere pastor abi.
Forsitan in putrem longo post tempore glebam
Vertar, & hac flores induet vrna nouos.
Populus aut potius abruptis artubus alba
Formosa exurgam conspicienda coma.
Quidquid ero, vestra hac pariter descendet in imã
Tellurem pietas, Elysiumque nemus.
Quod mihi si tumulo vobis curantibus arbor
Ingruat, & virides explicet alta comas:
Qua circum nitidis, astus dum sauit, obumbret
Frondibus, & scissam tegmine opacet humum,
Iam mihi pyramides, regum monumenta valete,
Et quidquid miri barbara Memphis habet,.
Scilicet huc, diti pecoris comitata magistro
Conueniet festo pulcra puella die:
Qua molles ducet choreas, & veste recincta
Ad certos norit membra mouere modos.
Quin erit illa dies, frigus cum captet opacum.
Hic aliquis flauo cum Corydone Mycon:
Et cantare pares, & respondere parati
Alternis certent vincere carminibus:
Quorum aliquis forsan crudeli funere raptum
Me gemat, & lacrymis polluat ora pijs,
Ac misero instauret funus, sternatque sepulcrum
Floribus, & nomen tollat in astra meum:
Et dulci referat musarum vt captus amore,
Sustinui patria linquere tecta puer.

Mollibus vtque olim vitam dum degimus hortis,
Regales potui deseruisse domos:
Vtque sub vmbrosæ quercus, platanique virentis
Maluerim densa delituisse coma,
Quam Tyria pictum chlamyde, auroq; intertextũ
Captatis vulgi plausibus vrbe vehi.
Tum faciles memoret mores, & puriter acta
Percurrat vitæ tempora quæque meæ.
Non ego Lutheri voluens monimenta, nefandis
Germanum populos ritibus implicui.
Non mea mortiferos porxit tibi dextera succos
Hippolyte, Ausonij flenda ruina soli:
Auspicio externas cuius tandem Itala tellus
Abiectas Medica cuspide sensit opes.
Te rigidi stupuere Getæ, Rhenusq; bicornis,
Et tremuit famulis frigidus Ister aquis:
Miles ab Eoo veniens cum littore Nili,
Ingemuit latebras tam procul esse tibi.
Vltorem nobis talem te te affore, pensa
Ferrea quæ ducunt, præmonuere Deæ.
Sed tantum terris quis te ostensura putasset
Numina, tamque breui tot peritura bona?
Itala res tecum perijt, tecum Itala virtus.
O nimis immiti stamina rupta manu.
Cuncta ego, quæ Latij dulces vulgare per oras
Dum propero, & laudes dicere Magne tuas,
Ante diem Elysios cogor cognoscere campos,
Implet odoratum quà pia turba nemus.
Illic ne incerta ludar regione viarum,
Occurras vati nobilis vmbra tuo,
Et myrto cinctum caput, aut Daphneide fronde,

In

In tibi vicino me velis esse loco.
Interea dulces cœtus valeatis amici,
Iam vocat in nigros mors tenebrosa lacus.
Increpitatque moras Lethæa portitor vnda,
Et remi auditus per loca senta fragor.
Dij tamen in melius vertant hæc omina, si quem
Humanis precibus non pudet esse locum.

In discessu Turcarum ex Italia.

Excessere truces Italo de littore Turcæ,
Versaque præcipiti terga dedere fugæ:
Qui modo traiecto numerosa classe profundo,
Vastabant fines, Appula terra, tuos.
Quo terrore omnis trepidauit ab alpibus vsque
Ad superum, infernumque Ausonis ora mare.
Tuque elate iugis pater Apennine niuosis
Nutasti, & trepido territus amne Padus.
Sed vani cecidere metus: audacia cessit
Hostibus, & sæuas deposuere minas.
Nam simul Austriades inuicto milite Cæsar
Explicuit, vires opposuitque suas,
Selectasque acies Italorum, & robur Iberum,
Et trepidis numen rebus, opemque tulit,
Excessere truces Italo de littore Turcæ,
Versaque præcipiti terga dedere fugæ.
Qui modo Romanamque vrbem delere parabant,
Barbaraque in Latio ponere castra solo,
Non expectata petierunt æquora pugna,
Versaque præcipiti terga dedere fugæ.
Vtque olim vasti calcator Persa profundi

Amissa trepidum classe relegit iter:
Haud secus ex Italo cedentes littore Turcæ,
Perculsi fœdo vilia corda metu,
Vela Noto, remos vndis, cæpta irrita ventis,
Versaque præcipiti terga dedere fugæ.

DE ARCE CAPITOLINA DE CAELO TACTA

Ad Paulum III. Pont. Max.

Nuper Tarpeias repetitis ictibus arces
Impulit ardenti quod pater ipse manu,
Quodque idem media nimborum in nocte refulsit
Stellarum cinctus, conspicuusque choro:
Et tibi quod flagrans pinus mole excidit alta,
Hæc quoque nocturnis ignibus vsta Iouis:
Paulle tibi optatam portendunt numina pacem,
Aduentu magnæ testificata Deæ.
Sume animos: pacata secas pater æquora: malo
Nil opus est, tuta nat tibi puppis aqua.

De Virgilio.

Hos Musis inserta Maro fragrantia flores
Dedicat, & dulcis pocula bina meri.
Quas olim faciles primis expertus ab annis
Hybla tuum vatem vicit & Ascra tuum.
Nunc magni redit exuuias indutus Homeri,
Vos triplici heroi cingite fronde comam.
Este Deæ memores vestris vt maximus olim

Consilijs

Consiliis Graias fregerit vnus opes.

De Hippolyto Card. Medice.

Hippolytum Medica cernis qui gente viator,
Et iuuenem ignota veste nitere vides.
Cur ostro tectus non sit si forte requiris,
Accipe & hæc placida perlege mente precor.
Danubij ad ripas his quondam cultibus acrem
Summouit Turcam finibus Ausoniis.
Vltima Bactra olim viresque Orientis & Indum
In nostrum veheres cum Solimane caput.
Iure igitur sumptis colitur dux maximus armis,
Quorum præsidio libera turba sumus.
Ipsum alias decuere sacræ redimicula mitræ,
Et pressit flauas infula pura comas.
Hic diuersa nouos dispensant tempora cultus:
Tu modo victorem ter veneratus abi.

De Cruce Domini.

Hoc quondam euersum ligno Pater optimus orbem
Sustulit, humanum restituitque genus.
Vt conspersa Dei sacro Crux alma cruore
Vel magnis possit regibus esse decus.
Sidera fulsit apex, radice in Tartara fertur,
Hoc latus Eoos, hoc fouet Hesperios.
Quisquis es, hans tecum mortales tolle per vndas:
Inscia naufragij ligna trabemque vides.

De

De Clemente VII P. M.

Sidera dum repetit Clemens, terrisque relictis
In sibi iam parta collocat arce pedem,
Subducunt cælum nubes, & nocte coorta
Proluuies fœdis imbribus arua premit.
Cæruleus tumido Tiberis caput abdidit alueo,
Et formidatis flumina laxat aquis
Scilicet & fluuios dolor attigit, ipsaque funus
Certatim ducunt mœsta elementa nouum.

De Aualo.

Eridani in ripis Aualus tibi, Iuppiter, alta
In quercu hostiles dum sacrat exuuias,
Quaque ferox vicit, regum ter magne Feretri,
Suspendit valida dona reuulsa manu.
Tu pater ipse tuas spoliis nunc suscipe siluas,
Nil tibi non victrix iam dabit ista manus.

De vrbe Roma à Germanis vastata.

Flagrati cineres si nunc Catilina videres,
Imperij & Latium consenuisse decus.
Tarpeiasque arces oculis, Capitoliaque alta.
Perlegeres, & quæ longa ruina tegit:
Protinus exclames: odiis exercita diuum,
Roma, manus tantum quæ potuere nefas?
Quàm melius nostris cecidisses icta procellis?
Haud alia fueras digna perire manu.

De roſtris naualibus in apum alue
aria verſis.

Ferrea roſtra olim preſſis erepta carinis,
Quæ Nili fractas teſtificantur opes,
Ecce apibus parcis pandas præpandimus aulas:
Congeſto redolent, quis putet? æra thymo.
Cæſaris hæc ingens laus eſt, quo vindice pacis
Iucundos fructus arma inimica ferunt.

Ad Coſmum Ducem Florentiæ.

Quod miles modo Marte tuus pugnauit iniquo,
Turpi terga fugæ nec tamen ille dedit:
Sors illud, virtus dedit hoc, quæ inuicta tuorum
Maxime per te animis vſque & vbique nitet.
Sic Lacedæmonij ſic pugnauere Quirites,
Scilicet alta tui ſic patris arma monent.

Ad lacus, vt placidos ſe principi
ſuo præbeant.

Egelidi ſaluete lacus muſcoque virete,
Veſtraque ſit puris dulcior vnda fauis.
Ac veluti inſignit multo vos nomine princeps
Veſter, ab Eois notus ad Heſperios:
Vos illi tumidos fluctus lenite viciſſim,
Et blanda errantes per uolet aura rates.
Et facite in veſtris ſi fors piſcabitur vndis,
In iacta vt multus retia piſcis eat.

In Paulum tertium Pont. Max.

Annua redierant Tertii solennia & ignes
Vrbs septem extulerat collibus alta suis.
Intonat ecce tibi laua cum Iuppiter arce,
Et cælum flammis occupat æthereis.
Cedite mortales diuinis ignibus ignes,
Et cessent gemitus æra ciere graues,
Ipse deus Paulli summos testatur honores,
Emicat, & festos curat obitque dies.

BALTHASSARIS CENTILIONIS CLEOPATRA.

MARMORE *quisquis in hoc sæuis admorsa colubris*
Brachia, & æterna torpentia lumina nocte
Aspicis, inuitam ne crede occumbere leto.
Victores vetuere diu me abrumpere vitam,
Regina vt veherer celebri captiua triumpho,
Scilicet & nuribus parerem serua Latinis
Illa ego progenies tot ducta ab origine regum,
Quam Pharii coluit gens fortunata Canopi,
Delitijs fouitque suis Aegyptia tellus,
Atque oriens omnis Diuum dignatus honore est.
Sedulitas, pulchræque necis generosa cupido
Vicit vitæ ignominiam, insidiasque tyranni.
Libertas nam parta nece est, nec uincula sensi,
Vmbraque Tartareas descendi libera ad vndas,
Quod licuisse mihi indignatus perfidus hostis,

Sæuitia

Sæuitiæ insanis stimulis exarsit & ira,
Nanque triumphali inuectus Capitolia curru,
Insignes inter titulos, gentesque subactas
Extinctæ infelix simulacrum duxit, & amens
Spectaclo expleuit crudelia lumina inani.
Neu longæua vetustas facti famam aboleret,
Aut seris mea sors ignota nepotibus esset,
Effigiem excudi spiranti e marmore iussit,
Testari & casus fatum miserabile nostri.
Quam deinde, ingenium artificis miratus Iulus
Egregium, celebri visendam sede locauit
Signa inter veterum heroum, saxoque perennes
Supposuit lacrymas ægræ solatia mentis:
Optatæ non vt deflerem gaudia mortis,
(Nam mihi nec lacrymas letali vipera morsu
Excussit, nec mors vllum intulit ipsa timorem)
Sed caro vt cineri, & dilecti coniugis vmbræ
Aeternas lacrymas, æterni pignus amoris
Mœsta darē, inferiasque inopes, & tristia dona.
Has etiam tamen infensi rapuere Quirites.
At tu Magne LEO Diuū genus, aurea sub quo
Sæcula, & antiquæ redierunt laudis honores,
Si te præsidium miseris mortalibus ipse
Omnipotens Pater ætherio demisit Olympo,
Et tua si immensæ virtuti est æqua potestas,
Munificaq; manu dispensas dona Deorum,
Annue supplicibus votis, nec vana precari
Me sine, parua peto: lacrymas Pater optime redde,
Redde oro fletum, fletus mihi muneris instar.
Improba quando aliud nil iam Fortuna reliquit.
At Niobe ausa Deos scelerata incessere lingua,

Induerit

Induerit licet in durum præcordia marmor,
Flet tamẽ, assiduusque liquor de marmore manat.
Vita mihi dispar, vixi sine crimine, si non
Crimen amare vocas fletus solamen amantũ est.
Adde, quod afflictis nostræ iucunda voluptas
Sunt lacrymæ, dulcesque inuitant murmure sõnos,
Et cum exusta siti Icarius canis arua perurit:
Huc potum ueniunt volucres, circumq; supraque
Frondibus insultant, tenero tum gramine læta
Terra viret, rutilantque suis poma aurea ramis,
Hic vbi odoratum surgens densa nemus umbra
Hesperidum dites truncos non inuidet hortis.

IOANNIS COTTAE
Ad Naugerium, & Io. Baptistam Turrianum.

IAM valete boni mei sodales
NAVGERI optime, tuque amice TVRRI,
Vere candidi, & optimi sodales,
Quos nunquam sat amauerim, licet vos
Quam fratres mage, quamque me ipsum amarim
Quibus perpetuum frui per æuum,
Vota si mea Dij audiant benigni,
Sit vna ampla animi mei voluptas.
Quod quanto cumulatius futurum est:
Vna si liceat mihi beatis
Vestri colloquijs adesse BEMBI.
Verum dura necessitas repugnat,
Inuitumque alias adire terras
Cogit, atque alios parare amicos.

Vos ergo memores meo esse vestri
Fixam in pectore imaginem, bonamque
Vobis partem animæ meæ relinqui,
Iam valete boni mei sodales.

BENEDICTI LAMPRIDII
Leoni decimo.

Cui sumpsi citharam in manus?
Dircæis potius quem referam modis?
Certe non alius meum,
Curis æque animum dulcibus occupat,
Atque is, qui pater vrbium
Non falsò a populis nomine dicitur,
Qui Romam imperio tenet
Æquo, præesse piis quem voluit Deus
Prudens gentibus. eia age
Magnum Pierides dicite Cosmiden.
Nam vestra ille opera puer
Creuit suauiloquæ flumen ad Arnidos,
Cum vos nobilis in sui
Visendi studium mouit Etruria:
Quæ multis alias bonis
Semper nota, tamen tunc mage claruit,
Quod Laurens Medices pater
Nostri Regis, in hoc lumine dum foret,
Tantam prætulerat facem:
Illo non alius nec sapientior,
Nec fari potior fuit:
Is supremo etiam, quod bonus, & pius
Esset, gratus erat Ioui,

Quin

Quin & diues opum, nec timidus frui
Non vlli deerat probo
Post laudem egregie diuitias habens.
His ille artibus aureis,
Ditabat veterem patriam honoribus:
Tunc Florentia floridis
Virtutum rutilans laudibus omnium,
Quem non misit in angulum
Mundi extenta suæ lumina gloriæ?
At non vita homini data est
Olim exors gelidi funeris, & mala
Expulsis redeunt bonis.
Alternas veniens tempus agit vices
Infanda ecce tibi dies,
Cum vertit rabidus fraude mala furor
Mœstis gaudia luctibus,
Natalique manus inijcit impias
Vrbi turbæ Deum ebria
Donis, nec sua iam tot bona concoquens
Huc illuc igitur nimis
Aduersa immeritam fata trahunt domum,
Quos tandem, licet antea
Passos multa, tamen rettulit in iubar
Optatum pietas memor
Quas ædes superis, quæ sacra fecerant.
Hostem vltrix scelerum fides
Incertum exiliis perpetuis agit.
Quicquid qualibet audeas,
Ne sperato Deos immemores fore,
At Laurentiadis sua
Cornu fudit opes copia plurimo.

Quiqu

Quique ipsis Genius fauet.
Etsi indigna suos duraque perpeti
Læuo in tempore siuerint,
Magnis Di cumulis damna resarciūt
Decedunt pede feruido
Claudes sauæ animis, cum tribuit Deus
Nobis lætitiam æquior,
Maiorique cadunt victa bono malá.
Nondum iungere dexteras,
Nondum finierant diuidere oscula,
Cum Rex ætheriæ domus,
Cui curæ soboles Romula maxima,
Sceptrum diue Leo *tibi.*
Acceptum penitus detulit in gregem,
Tot virtutibus vt tuis,
Se se Roma iterum tolleret, & decus
Priscum agnosceret inclyta,
Vt sacra bonum degeret otium.
Augusti alite Cæsaris,
Vt sanctis regeres consilijs pios,
Et Turcam quateres metu
Nunc, bellis alio tempore perderes.
Felix Aeneadum genus.
Felices reliqui, quos regis ac foues,
Et Florentia ter quater
Felix, dis homines quæ generat pares.
Eheu quid laniat genas?
Quid velat folijs omnia tristibus?
Eehu Di statuunt nihil
Tam faustū, vt penitus quicquid adest probe
Quo dux, quo iuuenum optime,

Quo vere Medicis orte parentibus?
Quo Laurens raperis nepos;
Tecum spes Itali Martis obit noua,
Verum vt ciuis, vt aduena
Hunc desideriis lugeat anxijs:
Non te diue Leo tamen
Mutat plus nimio dura necessitas.
Sic cum Magdaleos pudor,
Sic cum deseruit te soror altera,
Sic cum iunior occidit
Frater, dos animi quem tibi iunxerat,
Quamuis sanguinis arctius.
Nam virtutum apices legarat omnium.
Quo te cunque petit modo;
Fors. tectum clypeis pectus aheneis
Offers strenuus vndique
Aduersisque adeo fortior ictibus.
Tum nouit sapiens probe,
Quæ vulgus maneant vincula noxium,
Quæ pœna, simul horridum
Verbum Tartarei iudicis audiit.
Quæ rursus loca debita his,
Qui vitam ingenuis, moribus egerint.
Illic perpetuus dies,
Nec perturbat hiems gaudia tristior,
Aut versa vice Sirius.
Non remis tumidum vertere opus mare,
Vt fias opulentior.
Nec glebam rigido vomere findere
Cogunt irrita commoda.
Illic Oceano patre Fauonij

Spirant

Spirant non ſine flumine
Manante auricomis lene ſub arbutis.
Vltra denique nil cupit,
Eſſe in diuitibus cui licet inſulis.
Quas ſaturnus habet Rhea
Coniux, veſter vbi Coſmus, vbi duo
Petri, & non piger emeri
Anticuum patruus Iulius ob larem.
Cui ſub funera hic editus
Diuum in lumen habens nomen idem patri,
Carus tanquam oculi tibi,
Quod comi ingenio predito, & graui.
Quod prudens alios ſupra
Te tam magni oneris dimidio leuat.
Quod doctos colit hoſpites
Quod toto miſeros excipiens ſinu,
Et plantis tumidos premens,
Sublimis vacuum contigit æthera,
Sed quid prouehor impotens?
E clauo melius barbite pendeas.
Et puluis numerum fugit:
Nec digne Medicum tu reſones genus.
Sit tentaſſe aliquid tamen:
Non quiſquis ſpatijs ſudat olympicis,
Veloces agitans equos,
Pulcris iuncta refert tempora frondibus.

PETRI BEMBI

Ad Sempronium, a quo fuerat reprehensus, quod materna lingua scripserit.

Non quod me geminas tenere linguas,
Et Graiam simul, & simul Latinam,
Semproni reputem, mei libelli
Materna tibi voce sunt loquuti.
Vt tanquam saturum hinnuloque aproque,
Vilem iuuerit esse me fasellum:
Quod tu carminibus tuis venustis
Permirum tibi dixeras videri,
Sed famæ veritus malæ periclum,
Campo versor in hoc loquutionis:
Quod dicam tibi. quem probo que amoque,
Quantum pignora vix amant parentes,
Vt cum noueris id, cauere possis.
Nam pol qua proauusque auusque lingua
Sunt olim meus & tuus loquuti,
Nostræ quaque loquuntur & sorores,
Et matertera nunc. & ipsa mater,
Nos nescire loqui magis pudendum est,
Qui Graiæ damus, & damus Latinæ
Studi tempora duplicemque curam:
Quam Graia simul & simul Latina
Hac vti vt valeas, tibi videndum est
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis & labore villas,
Domi te calamo tegas palistri.

Benacus

Benacus.

Te Giberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes,
Sitmodo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat, nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibus voluisse intexere chartis.
Nuntius vt vitreas Benaci vectus ad vndas,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atque Dei lætis impleuit vocibus aures,
Aduenisse diem, quo formosissima terra
Ausoniæ Verona sacris, templisque regendis
Demissum cœlo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet iuuenem, qualem vix ipsa petebat:
Forte pater gelido in luco, siluaque virenti:
Fontibus & riuis cubito subnixus & vrnæ
Iura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemque parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aures
Collectos comptæ crines tempusque decorum,
Incinctæq; auro surasque sinusque fluentes
Vestibulo in thalami natæ, niueosque lacertos
Nudabant operi, quo pulcro ex agmine Sirmæ
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque Solaq;
Reddebant: sol æstiuos circumuagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allata deus post quam auribus hausit,
Promissosque olim fatis sibi lætus honores

Agnouit, tangens hærentem vligine barbam,
Demulcensque manu, iussit vicina vocari
Flumina: dein se se placidum conuexa sub alta
Speluncæ senior solitaque in sede recepit.
Postera iam cælo stellas noctemque fugarat,
Lustrabatque dies multo terrasque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in vndis
Piscosusque altas inuoluens Lambrus arenas.
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasque interlitus auro.
Nec rapidus fluuioque Athesis spectandus amano
Defuit, aut Pataui circumque intraque pererrans
Mænia Meduacus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboque sacrauit
Populifer ve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alueo,
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seque mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atque alis velatus arundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obuius, atque in tecta parentis saxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac vdos posuere sedilibus artus,
Crystallo rigida fultis, & iaspide glauca,
Continuo Nymphæ mensas ante ora Deorum,
Speluncæ in medio niueis mantilibus apte
Consternunt, dapibusque onerant. Dicteaq; plena
Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis.
Purpu-

Purpureoque rosa, Medorumque arboris albo:
Medorum quondam, sed qua nunc plurima latas
Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suauique auras permulcet odore.
Post ubi prima quies epulis, Deus ipse magister
Vndifragi domitorque lacus, præsent a circum
Numina respiciens, his vocibus ora resoluit:
Quod votis toties ne quicquam optauimus vnũ
Vobiscum Diui, fausto modo fidere luces,
Vertentes luces fatorum orbisque ministra,
Aduexere: vehit pleno bona copia cornu;
Largaque pomifera prætendit munera dextra:
Quare vos primo longaui a semine mundi.
In mare fluctisonum prono labentia cursu,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Flos etenim iuuenum, longa formidine sæcla
Perdita qui soluat, quique agglomerata malorũ
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,
Bactra vltra, Thylemq; vltra, Scythiamq; releget,
Quiq; vrbes, quiq; arua colat, Ioue missus ab ipso &
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Hic primum miseris viduatas ciuibus vrbes
Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,
Replebit numerum exæquans augensque priorem:
Oppidaque ingenti multum quassata ruina,
Prostratisque solo late mœrentia tectis,
Restituet, pulcroque dabit splendescere vultu.
Voluite maiores vaga flumina: voluite lymphas.
Magno nanque pij iuuenis deuinctus amore
Ethruscus pater, excelsas qui Tibridis arces
Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,

Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes
Suspiciens, obitosque inuicto corde labores,
Hoc dedit. has illi rerum permisit habenas.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quid memorē vt tener et primæ sub flore iuuētæ
Ingentem ad ludum properauerit auspicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic vndas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu casus victos superaueris omne,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansq; viam obstrueret torrentibus imber,
Pœninas vel per fauces tractusque volantem
Aerios, summo miseratæ vertice Nymphæ
Optauere graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
Astitit vnigena proles vt Iouis, bona mater:
Vt mater bona, quæ caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
Ipse meas artes iam nunc tibi dixit habeto.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluuiorū, nemorumq; ferax, pecudumq; virumq;
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:
Diuersoque iugo ad ventos, interque cadentem

Surgentemque diem longo protenta Pyrene.
Altis quæ geminas despectat frontibus undas.
Tum dictis factisque potens illa inclyta bello,
Lataque & in latas Hispania diffita terras.
Voluite maiores vaga flumina voluite lymphas.
Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant,
Acceptos conuersa sonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis & Adriacus, paruo qui flumine Rhœnus
Lãbit humũ: testis Thuscis haud maximus undis
Maior prole virum, & diuinos Arnus honores
Promeritus, cælum diuisque recentibus augens,
Pulcros qui colles, pulcramque interfecat vrbem:
Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
Illius in studiis iandudum & amore quiescit.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas,
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni,
Iam non curarum, non commemorare laborum
Vna potes? tolle egregium per sæcula nomen,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Aetna,
Aut cinctus stellis Altas, aut Caucasus ingens.
Tantum clara virum Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cælestum concessit honores
Antiquis cumulans: at tu præsentia sæcla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Ecce tibi læto vestit se gramine tellus,

Et tibi silua comas nutrit: tibi pabula surgunt:
Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahant vel arundine longa
Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accite quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam.
Et plectrum, & cithar, scrāptasque ab Apolline chartas,
Aeternum quas ediscant, celebrentque minores.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nym*phæ,*
Luteolum calthæ florem, casiamque virentem,
Liliaque, violasque, & purpureos hyacinthos.
Haud porxisse prius poterant: bella horrida bella
Pertulimus, dulces & deformauimus agros:
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Vt cum letifeios accendit Sirius ignes,
Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
Pellet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustę:
Arua colit nemo siccis arentia glebis.
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cunta iacent nimio cæli contusa calore:
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At postquam latos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas, hortus flores, pratū explicat herbas:

Ipsa

Ipsa viret tellus: ripa collesque nitescunt:
Dant segetem sulci: nemus altas sufficit vmbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos:
Ruris turba deam venerata ligonibus vdam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cæli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes,
Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo
Deuehis, hunc olim vobis multosque per annos
Sit satis o tenuisse: meam mihi iam date partem:
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

Pro Goritio votum ad Deum cui ædiculam exædificauerat.

Sancta, quibus propriam posuit Goritius aram
Numina: perpetuosque aræ sacrauit honores,
Humani columen generis, diuina puella,
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuina genitrix augusta puella,
Felix sorte tua, felix nata atque nepote,
Aethereiq; puer magnum patris incrementum,
Arte boni, quos egregia cæloque Sauini
Spectari, Pario & spirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite, si sacrorum vnquam pia carmina vatũ,
Et castæ mouere preces cælestia corda,
Reddite quæ posco, mea nec sint irrita vota:

Vt qu s longa dies miseris mortalibus olim
Aduectat varios senio veniente labores,
Ægrum animum, & segnes effœto in corpore sensus,
Inq; solum pronos vultus, nixisq; bacillum
Poplitibus, tardosq; gradus, tremebundaq; mēbra
Tum crebras lacrymis causas, & dura suorum
Funera, & euersos mutata sorte penates,
Quaq; alia ex alijs passim mala consternatas
Implerunt terras cupidi post furta Promethei:
Horum ille immunis totos centum expleat annos
Auspiciis superi vestris, & numine vestro
Integer. vt nunc est, nec longa damna senectæ
Sentiat: & carus patriæ, iucundus amicis,
Diues opum, Roma incolumi Latio que fruatur.

Hymnus ad Beatum Stephanum.

Nam quæ te culpa & sceleris tam dira cupido
Infelix solyme, & sæclis dammanda futuri,
Corrupuit? tantas aut quis furor egit in iras?
Vt iuuenem patris atherei præcepta canentem
Dicta tibi, & veterum referantem oracula vatū
Præstanti eloquio, teque ad meliora vocantem,
Compita per medias que vias e mœnibus vrbis
Illusum expuleris: tum cæca perdita mente
Concursu pressum ingenti, saxisque petitum,
Nudatos artus, ceu quondam grandine densa
Iuppiter ingeminans terram quatit æthere ab alto,
Crudelis leto dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido sustollens lumina vultu,

Lustrabatque oculi: cælum, intrepidusque pericli
Laudabat superos, & spe sua damna leuabat:
Cui se, quantus erat, manifesta in luce videndum
Ipse pater Diuum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cum iam sub fine laborum
Disiectus duro frontem & caua tempora nimbo,
Iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis
Pro scelere immani moriens, pro talibus ausis,
Ah veniam superos anima fugiente rogabat:
Placebat superos hosti iam frigida lingua.
Salue bis senis lectus parere magistris,
Macte animo puer egregio & præstantibus ausis,
Macte nece, & veris magnum, decus addite Diuis.
Tu princeps ignominiam, plagasque cruentas,
Et longum memoranda nepotibus aspera fata
Magnanimi post Herois, quem candida partu
Cœlicolum regi tecto sub paupere Nympha
Non vllam Venerem, nullos experta hymenæos,
Ediderat patrij flauas Iordanis ad vndas,
Testis ades facti: sacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conspergis Idumes:
Et pulcra insolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxisse corone:
Vnde tibi grati nomen dixere minores.
Te colimus: certo tibi tempore sacra quotannis
Rite damus, & tura tuis imponimus aris.
Quod si vlla o votisq; hominũ precibusq; mouẽtur
Numina, nec cunctis adeo stat perdere Diuis
Ausoniam, populosque Italos, nomenque Latinum.
Atque malis prope iam confectæ mœnia Romæ,

Sancte

Quo vere Medicis orte parentibus?
Quo Laurens raperis nepos;
Tecum spes Itali Martis obit noua,
Verum vt ciuis, vt aduena
Hunc desideriis lugeat anxijs:
Non te diue Leo tamen
Mutat plus nimio dura necessitas.
Sic cum Magdaleos pudor,
Sic cum deseruit te soror altera,
Sic cum iunior occidit
Frater, dos animi quem tibi iunxerat,
Quamuis sanguinis arctius.
Nam virtutum apices legarat omnium.
Quo te cunque petit modo,
Fors. tectum clypeis pectus aheneis
Offers strenuus vndique
Aduersisque adeo fortior ictibus.
Tum nouit sapiens probe,
Quæ vulgus maneant vincula noxium,
Quæ pœnæ, simul horridum
Verbum Tartarei iudicis audiit.
Quæ rursus loca debita his,
Qui vitam ingenuis, moribus egerint.
Illic perpetuus dies,
Nec perturbat hiems gaudia tristior,
Aut versa vice Sirius:
Non remis tumidum vertere opus mare,
Vt fias opulentior.
Nec glebam rigido vomere findere
Cogunt irrita commoda.
Illic Oceano patre Fauonij

Spirant non sine flumine
Manante auricomis lene sub arbutis.
Vltra denique nil cupit,
Esse in diuitibus cui licet insulis.
Quas saturnus habet Rhea
Coniux, vester vbi Cosmus, vbi duo
Petri, & non piger emeri
Anticuum patruus Iulius ob larem.
Cui sub funera hic editus
Diuum in lumen habens nomen idem patri,
Carus tanquam oculi tibi,
Quod comi ingenio prædito, & graui.
Quod prudens alios supra
Te tam magni oneris dimidio leuat.
Quod doctos colit hospites
Quod toto miseros excipiens sinu,
Et plantis tumidos premens,
Sublimis vacuum contigit æthera,
Sed quid prouehor impotens?
E clauo melius barbite pendeas.
Et puluis numerum fugit:
Nec digne Medicum tu resones genus.
Sit tentasse aliquid tamen:
Non quisquis spatijs sudat olympicis,
Veloces agitans equos,
Pulcris iuncta refert tempora frondibus.

PETRI BEMBI

Ad Sempronium, a quo fuerat reprehensus, quod materna lingua scripserit.

Non quod me geminas tenere linguas,
Et Graiam simul, & simul Latinam,
Semproni reputem, mei libelli
Materna tibi voce sunt loquuti.
Vt tanquam saturum hinnuloque aproque,
Vilem iuuerit esse me fasellum :
Quod tu carminibus tuis venustis
Permirum tibi dixeras videri,
Sed famæ veritus malæ periclum,
Campo versor in hoc loquutionis:
Quod dicam tibi. quem probo que amoque,
Quantum pignora vix amant parentes,
Vt cum noueris id, cauere possis.
Nam pol qua proauusque auusque lingua
Sunt olim meus & tuus loquuti,
Nostræ quaque loquuntur & sorores,
Et matertera nunc. & ipsa mater,
Nos nescire loqui magis pudendum est,
Qui Graiæ damus, & damus Latinæ
Studi tempora duplicemque curam:
Quam Graia simul & simul Latina
Hac uti vt valeas, tibi videndum est
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis & labore villas,
Domi te calamo tegas palistri.

Benacus

Benacus.

Te Giberte cano, purus dum templa ſacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes,
Sitmodo non impar tanto ſub pondere, quæ me
Muſa vocat, nec eam ventura redarguat ætas,
Obſcuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibus voluiſſe intexere chartis.
Nuntius vt vitreas Benaci vectus ad vndas,
Muſcoſo ſubter pendentia fornice tecta,
Atque Dei lætis impleuit vocibus aures,
Aduenisse diem, quo formoſiſſima terræ
Auſoniæ Verona ſacris, templisque regendis
Demiſſum cælo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet iuuenem, qualem vix ipſa petebat:
Forte pater gelido in luco, ſiluaque virenti:
Fontibus & riuis cubito ſubnixus & vrnæ
Iura dabat: cui carbaſei molliſſima fili
Stamina pingebant fuco, veſtemque parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aures
Collectos comptæ crines tempusque decorum,
Incinctæq; auro ſuraſque ſinuſque fluentes
Veſtibulo in thalami natæ, niueoſque lacertos
Nudabant operi, quo pulcro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque Solaq;
Reddebant: ſol æſtiuos circumuagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allata deus poſt quam auribus hauſit,
Promiſſoſque olim fatis ſibi lætus honores

Agnouit, tangens hærentem vligine barbam,
Demulcensque manu, iussit vicina vocari
Flumina: dein se se placidum conuexa sub alta
Speluncæ senior solitaque in sede recepit.
Postera iam cælo stellas noctemque fugarat,
Lustrabatque dies multo terrasque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in vndis
Piscosusque altas inuoluens Lambrus arenas.
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasque interlitus auro.
Nec rapidus fluuioque Athesis spectandus amœno
Defuit, aut Pataui circumque intraque pererrans
Mœnia Meduacus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboque sacrauit
Populifer ve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alueo,
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seque mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atque alis velatus arundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obuius, atque in tecta parentis saxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac vdos posuere sedilibus artus,
Crystallo rigida fultis, & iaspide glauca,
Continuo Nymphæ mensas ante ora Deorum,
Speluncæ in medio niueis mantilibus apte
Consternunt, dapibusque onerant. Dicteaq; plena
Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis,

Purpu-

Purpureoque rosa, Medorumque arboris albo:
Medorum quondam, sed quæ nunc plurima latas
Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suauique auras permulcet odore.
Post vbi prima quies epulis, Deus ipse magister
Vndifragi domitorque lacus, præsentia circum
Numina respiciens, his vocibus ora resoluit:
Quod votis toties ne quicquam optauimus vnũ
Vobiscum Diui, fausto modo fidere luces,
Vertentes luces fatorum orbisque ministra,
Aduexere: vehit pleno bona copia cornu;
Largaque pomifera prætendit munera dextra:
Quare vos primo longæui a semine mundi,
In mare fluctisonum prono labentia cursu,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Flos etenim iuuenum, longa formidine sæcla
Perdita qui soluat, quique agglomerata malorũ
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,
Bactra vltra, Thylemq; vltra, Scythiamq́; releget,
Quiq; vrbes, quiq; arua colat, Ioue missus ab ipso &
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Hic primum miseris viduatas ciuibus vrbes
Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,
Replebit numerum exæquans augensque priorem:
Oppidaque ingenti multum quassata ruina,
Prostratisque solo late mœrentia tectis,
Restituet, pulcroque dabit splendescere vultu.
Voluite maiores vaga flumina: voluite lymphas.
Magno nanque pij iuuenis deuinctus amore
Ethruscus pater, excelsas qui Tibridis arces
Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,

 Illius

Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes
Suspiciens, obitosque inuicto corde labores,
Hoc dedit. has illi rerum permisit habenas.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quid memorē vt tener et primæ sub flore iuuētæ
Ingentem ad ludum properauerit auspicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic vndas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu casus victos superaueris omnes.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansq; viam obstrueret torrentibus imber,
Pœninas vel per fauces tractusque volantem
Aerios, summo miseratæ vertice Nymphæ
Optauere graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
Astitit vnigena proles vt Iouis, bona mater:
Vt mater bona, quæ caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
Ipse meas artes iam nunc tibi dixit habeto.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluuiorū, nemorumq; ferax, pecudumq; virumq;
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:
Diuersoque iugo ad ventos, interque cadentem

Surgentemque diem longo protenta Pyrene.
Altis quà geminas despectat frontibus undas.
Tum dictis factisque potens illa inclyta bello,
Lataque & in latas Hispania diffita terras.
Voluite maiores vaga flumina voluite lymphas.
Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant,
Acceptos conuersa sonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis & Adriacus, paruo qui flumine Rhœnus
Lābit humū: testis Thuscis haud maximus vndis
Maior prole virum, & diuinos Arnus honores
Promeritus, cælum diuisque recentibus augens
Pulcros qui colles, pulcramque interfecat vrbem:
Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
Illius in studiis iandudum & amore quiescit.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas,
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni,
Iam non curarum, non commemorare laborum
Vna potes? tolle egregium per sæcula nemen,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Aetna,
Aut cinctus stellis Altas, aut Caucasus ingens.
Tantum clara virum Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cælestum concessit honores
Antiquis cumulans: at tu præsentia sæcla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Ecce tibi læto vestit se gramine tellus,

Et tibi silua comas nutrit: tibi pabula surgunt:
Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahant vel arundine longa
Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam.
Et plectrum, & cithar, scriptasque ab Apolline chartas,
Aeternum quas ediscant, celebrentque minores.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nym*phæ,*
Luteolum calthæ florem, casiamque virentem,
Liliaque, violasque, & purpureos hyacinthos.
Haud porxisse prius poterant: bella horrida bella
Pertulimus, dulces & desormauimus agro:.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Vt cum letifer os accendit Sirius ignes,
Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
Pellet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustę:
Arua colit nemo siccis arentia glebis.
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cunta iacent nimio cœli contusa calore:
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At postquam latos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas, hortus flores, pratū explicat herbas:

Ipsa

Ipsa viret tellus: ripæ collesque nitescunt:
Dant segetem sulci: nemus altas sufficit vmbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos:
Ruris turba deam venerata ligonibus vdam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cæli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes,
Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo
Deuehis, hunc olim vobis multosque per annos
Sit satis o tenuisse: meam mihi iam date partem:
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

Pro Goritio votum ad Deum cui ædiculam exædificauerat.

Sancta, quibus propriam posuit Goritius aram
Numina: perpetuosque ara sacrauit honores,
Humani columen generis, diuina puella,
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuina genitrix augusta puella,
Felix sorte tua, felix nata atque nepote,
Aethereiq; puer magnum patris incrementum,
Arte boni, quos egregia cæloque Sauini
Spectari, Pario & spirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite, si sacrorum vnquam pia carmina vatũ,
Et casta mouere preces cælestia corda,
Reddite quæ posco, mea nec sint irrita vota:

Lustrabatque oculis cælum, intrepidusque pericli
Laudabat superos, & spe sua damna leuabat:
Cui se, quantus erat, manifesta in luce videndum
Ipse pater Diuum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cum iam sub fine laborum
Disiectus duro frontem & caua tempora nimbo,
Iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis
Pro scelere immani moriens, pro talibus ausis,
Ah veniam superos anima fugiente rogabat:
Placebat superos hosti iam frigida lingua.
Salue bis senis lectus parere magistris,
Macte animo puer egregio & præstantibus ausis,
Macte nece, & veris magnum, decus addite Diuis.
Tu princeps ignominiam, plagasque cruentas,
Et longum memoranda nepotibus aspera fata
Magnanimi post Herois, quem candida partu
Cœlicolum regi tecto sub paupere Nympha
Non vllam Venerem, nullos experta hymenæos,
Ediderat patrij flauas Iordanis ad vndas,
Testis ades facti: sacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conspergis Idumes:
Et pulcra insolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxisse corone:
Vnde tibi grati nomen dixere minores.
Te colimus: certo tibi tempore sacra quotannis
Rite damus, & tura tuis imponimus aris.
Quod si vlla o votisq; hominũ precibusq; mouẽtur
Numina, nec cunctis adeo stat perdere Diuis
Ausoniam, populosque Italos, nomenque Latinum.
Atque malis prope iam confectæ mœnia Romæ,

Sancte veni, cœtusque tuos, tuaque aurea templa
Latiquæ festa velamus fronde per urbes,
Dexter adi, placidusque animis illabere nostris:
Ac primum miseris bellorum & cædis amorem
Da pater exuere, & tercentum mittere in annos
Tigrimque Tanaimque vltra, & post ferre quietæ
Sollicitos populi fasces, adiectaque regnis
Regna super, validoque vndantia milite castra,
Et pacem venerari, & mitia vertere duris:
Dein pestes scelerum tantorum, atq; agmine lõgo
Multa odij concreta modis mala semina diris,
Infectasque diu labes, & crimina purga
Heu solito grauiora, irasque auerte Deorum.

Politiani tumulus.

Duceret extincto cum mors Laurente trhiũphum,
Lætaque pullatis inueheretur equis.
Respicit in sano ferientem pollice chordas,
Viscera singultu concutiente virum.
Mirata est, tenuitque iugum: furit ipse, pioque
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miscebat precibus lacrymas, lacrymisque dolorem,
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
Orphi Tartareæ cum patuere viæ,
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Fertque suas dixit, in mea iura manus.
Protinus & flentem percussit dura Poetam,
Rupit & in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniæ Politiane lyræ.

Iulij

Iiulij secundi Pontificatus Maximus.

Illa pijs populis mundoque accepta recenti,
(Sub Ioue cum non dum ferreus orbis erat,
Nec proscissa graues vertebant arua iuuenci,
Vinea nec lacrymas falce resecta dabat:
Mella sed aeriæ sudabant roscida siluæ,
Et lac pro gelida flumen habebat aqua..)
Nunc o nũc redit adprimos bona quercus honores,
Quos habuit, mundi cum tener orbis erat,
Quercus grande sua quæ quondam Heroas alebat,
Cura deum Quercus sancta, piumque nemus.
Dignáque Cecropiæ pinguis cui silua Mineruæ
Cedat, & Herculeis populus apta comis:
Cedat & ipsa suo laurus Phœbeia luco,
Inflexæq; pedem Bacchica serta ederæ,
Vel myrti Veneris, vel Siluani cyparissi,
Vel quæ capripedi pinus amata Deo est.
Nanque boni mores nostro rediere sub æuo.
Vt primum posito constitit illa situ:
Simplicitasque inculta comam, rectique cupido,
Et lex, & probitas, & sine labe fides.
Nec redit ad primos tantũ bona quercus honores,
Quos habuit mundi cum tener orbis erat:
Sed prouecta solo nitidis caput inserit astris,
Quantum homines aluit, tantũ alitura Deos.

Caroli

Caroli Bembi Fratris.
Epitaphium.

Qualis honos cæli, puro cum surgit Olympo
Lucifer, & fessis clarum caput exerit astris:
Tale decus te Bembe tuis mala fata tulerunt.

Philippi Beroaldi Minoris.
Epitaphium.

Felsina te genuit, colles rapuere Quirini,
Longum audita quibus Musa diserta tua est.
Illa dedit rerum domino platuisse Leoni,
Thebanos Latio dum canis ore modos.
Vnanimes reptum ante diem fleuere sodales:
Nec Decimo sanctæ non maduere genæ.
Quæ pietas, Beroalde fuit tua, credere verum est.
Carmina nunc cæli te canere ad citharam.

Iacobi Sinceri Sanazarij
Epitaphium

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni
Sincerus Musa proximus vt tumulo.

Lucilij Bembi Filij Epitaphium.

O multum dilecte puer, quæ dura parenti
Fortuna inuidit te superesse tuo?
Quam producebam latus te sospite vitam,
Erepto peior morte relicta mihi est.

Raphae-

Raphaelis Vrbinatis pictoris Epitaphinm.

Hic ille est Raphael, metuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

IN PETRI BEMBI CARDINALIS MORTEM AC LAVDEM.

Ecloga incerti auctoris.

ARGVMENTVM.

HAC Ecloga Illustrissimi & reuerendissimi Cardinalis Bembi obitus, sub Meliboei persona defletur ab eximio viro Carolo Gualterutio, qui illum vnice dilexit & obseruauit & Lycidæ nomine intelligitur. Hunc prudentissime simul & religiose consolatur vir integerrimus ALOYSIVS Priolus, quem per Amyntam intelligi Poeta voluit.

MELIBOEVS.

Amyntas & Lycidas.

AMY. En vitrei Lycida fontes, vmbræq; salubres,
En virides pinus, violisque nitentia prata.
En quos sæpe tuo lusu celebrare recessus,
Quæ mulcere nouo suetus nemora auia cantu,

Hic te certantem Satyrorum effrena iuuentus,
Te Dryades Nymphæ, te Naiades admiratæ:
Panque ipse, argutis resonant cui Mænala siluis.
Vt siluit tua Musa, horrent deformina prata.
Quique prius vmbras lucus præbebat opacas,
Idem formosis viduatus frondibus aret,
Fontis & exhausit liquidas sol igneus vndas.
Eloquar an sileam, quæ tanti causa doloris?
Aut mea quid cesset taciturnis fistula siluis?
LYC. *Ille heu, ille vnus quondam mihi carus Amynta,*
Qui dum Aurora rotas Eois tolleret vndis,
Mecum vna in vacuos saltus armenta solebat
Ducere: nunc eheu fato est ereptus acerbo.
Ille per Vrobios montes, vallesque reductas,
Ille per Etruscas rupes, atque auia saxa,
Ille per Euganeas cantu celeberrimus oras.
Illum etiam Latij montes, frigidus Almo
Obstupuit, mediamque secat qui Lydius vrbem
Tibris, & auratæ pratentat cornua frontis.
Tantus honos doctæ vocis tam sancta verendi
Maiestas oris tot honesti pectoris artes.
Hic dare suetus erat armenti iura magistris,
Ruricolumque vnus mœstas sedare querelas.
Hic, cum sol primo lustraret lumine terras,
Et medio persæpe die, cum Syrius arua
Vreret, & valido gemeret grauis area pulsu,
Vel fesso Hesperium curru properaret in æquor,
Mollibus in ripis, muscosi fontis ad vndam,
Et viridis vacua salicis proiectus in vmbra,
Pastores blanda mulcere solebat auena,

E rixa abductos ad pacis dona vocare.
Huius ad inferias, & funus mœsta senile,
Alma Venus luxit, parui luxistis Amores.
Ipse faces, arcusque suos, ac tela Cupido,
Et pharetram amissis abiecit flebilis alis
Te mœrens fleuit pastor, te durus arator,
Te mœsta exstinctum Dryades, tristesque Napeæ,
Te fragiles coryli, atque ipsæ fleuere myricæ,
Non aliter quam si iuuenem te fata tulissent.
Sed felix Melibœe vale, multosque per annos
Ossa beata precor tuta requiescite in vrna.
AMY. Magna quidem fateor Lycida est tibi causa dolendi,
Si quantum Euganeis, quantũ Laurẽtibus aruis,
Præsidium abstulerint superi atque immitia fata,
Tecum agites. Contra memori si mente volutes,
Quã blando semper diuumq; hominumq; fauore,
Omnia matura complerit munia vitæ,
Quæ tandem inuidia est, vmbras, & inania vota
Si fugiens alios demum secessit in orbes?
Si tenet Elysios campos, sedesque beatas?
Atque inter siluas & amœna vireta vagatur?
Hic, vbi cælestes concentus aera mulcent,
Et mille arguto decurrunt murmure riui:
Fertq; rosas inculta seges, fert vndique flores.
Non illic litui, non Martia classica possunt
Æternam placidæ mentis turbare quietem:
Hinc & luxuries, & habendi insana cupido,
Et metus omnis abest: at adest sincera voluptas,
At secura quies, at fraudum nescia corda.
Felix, o Melibœe nouum decus addite diuis,

Hic te certantem Satyrorum effrena iuuentus,
Te Dryades Nymphæ, te Naiades admiratæ:
Panque ipse, argutis resonant cui Menala siluis.
Vt siluit tua Musa, horrent deformina prata.
Quique prius vmbras lucus præbebat opacas,
Idem formosis viduatus frondibus aret,
Fontis & exhausit liquidas sol igneus vndas.
Eloquar an sileam, quæ tanti causa doloris?
Aut mea quid cesset taciturnis fistula siluis?
LYC. Ille heu, ille vnus quondam mihi carus Amynta,
Qui dum Aurora rotas Eois tolleret vndis,
Mecum vna in vacuos saltus armenta solebat
Ducere: nunc eheu fato est ereptus acerbo.
Ille per Vrobios montes, vallesque reductas,
Ille per Etruscas rupes, atque auia saxa,
Ille per Euganeas cantu celeberrimus oras.
Illum etiam Latij montes, frigidus Almo
Obstupuit, mediamque secat qui Lydius vrbem
Tibris, & auratæ prætentat cornua frontis.
Tantus honos doctæ vocis tam sancta verendi
Maiestas oris tot honesti pectoris artes.
Hic dare suetus erat armenti iura magistris,
Ruricolumque vnus mœstas sedare querelas.
Hic, cum sol primo lustraret lumine terras,
Et medio persæpe die, cum Syrius arua
Vreret, & valido gemeret grauis area pulsu,
Vel fesso Hesperium curru properaret in æquor,
Mollibus in ripis, muscosi fontis ad vndam,
Et viridis vacua salicis proiectus in vmbra,
Pastores blanda mulcere solebat auena,

rixa abductos ad pacis dona vocare.
ius ad inferias, & funus mœsta senile,
lma Venus luxit, parui luxistis Amores.
pse faces, arcusque suos, ac tela Cupido,
t pharetram amissis abiecit flebilis alis
e mœrens fleuit pastor, te durus arator.
e mœsta exstinctum Dryades, tristesque Napeæ.
e fragiles coryli, atque ipsæ fleuere myricæ,
on aliter quam si iuuenem te fata tulissent.
ed felix Melibœe vale, multosque per annos
ssa beata precor tuta requiescite in vrna.
AMY. Magna quidem fateor Lycida est tibi causa dolendi,
Si quantum Euganeis, quantũ Laurẽtibus aruis,
Præsidium abstulerint superi atque immitia fata,
Tecum agites. Contra memori si mente volutes,
Quã blando semper diuumq; hominumq; fauore,
Omnia matura complerit munia vitæ,
Quæ tandem inuidia est, vmbras, & inania vota
Si fugiens alios demum secessit in orbes?
Si tenet Elysios campos, sedesque beatas?
Atque inter siluas & amœna vireta vagatur?
Hic, vbi cælestes concentus aera mulcent,
Et mille arguto decurrunt murmure riui.
Fertq; rosas inculta seges, fert vndique flores.
Non illic litui, non Martia classica possunt
Æternam placidæ mentis turbare quietem:
Hinc & luxuries, & habendi insana cupido,
Et metus omnis abest: at adest sincera voluptas,
At secura quies, at fraudum nescia corda.
Felix, o Melibœe nouum decus addite diuis,

Sub pedibus nubes, atque ignea sidera latus
Miraris, spectans maria alta tumescere ventis,
Pendeat vtq; ingens æquo discrimine mundus.
Tum nos, & tua rura simul pater optime cernis.
Ex alto nostros cælo miserate labores,
Ante Dei solium magni non vana precaris.
Ergo tuos demens Lycida iam desine questus,
Nec mœstis comple frustra clamoribus auras:
Sed tumulus vernis niteat violisque, rosisque;
Et fluat in cineres nardus, nec desit amomum,
Assyrio stillet venerabilis vrna liquore,
Æternumque madens; Panchæis mercibus hale t
Nos, quoniã tacitis properat nox atra quadrigis
Et sol Hesperio iam mergit in æquore currus,
Securum pastas pecudes in ouile vocemus.

Leonardi Fusci Foroiuliensis, in Cardinalis Bembi obitu.

Elegia.

Dum vacat, hic patriæ secessus inter opacos,
Quæq; aura, & multo deuia colle placent,
Mecum vna indulgens vesano Musa dolori,
Dic age *lugubri carmina mœsta sono.*
Flendi obitus nobis, & tristia funera Bembi,
Funera quæ lacrymis haud decorare nefas
Quæ doctæ, quæ vos tum causa morata sorores,
N*ec passa Adriacæ est Thetyos ire freta.*
Amissum ingemeret Bembum cum N*ereis illic,*
Ac longe in medijs conqueretur aquis,
C*æruleũ os: glaucosque sinus, fletu humida largi*

Canaque roranti pectora tunsa manu?
Vos decuit magnæ in partem properare querelæ,
Certatim & luctus ingeminare graues:
Nulli hic quam vobis mage flebilis occidit, artes
Quarum adeo, & sanctos auxit honore choros.
Sæpe oras olim assuetus lustrare repostas
Phocidos, atque umbris auia grata suis:
Sæpe iuga, irriguique Heliconis fontibus antra,
Antra nisi a casto non adeunda pede,
Illum, ubi victuro ditastis carmine, vestras
Largius uni omnes & tribuistis opes,
Vt foret extenso quo se Adria tolleret æuo,
Iactaretque suas vate superbus aquas.
Vate, comas cui non solum, & pia tempora compsit,
Quæ Cynthi intonso est arbor amata deo,
Verum & Tarpeio data pilea rubra tonante,
Quique nitet roseo murice tinctus apex.
At non infelix istis tibi cultibus, isto
Ornatu, longum Rembe nitere datum est.
Quodoquidem exacto lustri vix tēpore, postquam
Hæc ultro dederat munera Paulus, obis.
Et te non pietas, eheu, tutata merentem,
Non & relligio casta fidesque fuit,
Priscave simplicitas, ac candor pectoris, ipsa
Qualem Sythoniæ vix habuere niues,
Atque æqui semper cultrix, & nescia fœdi
Criminis, a turpi & mens aliena probro.
Crudeles Parcæ vestrum si fila colusque,
Tot dotes, tot non sueta mouere bona,
Queis insignem atrox funus nescire decebāt,
Vitare & rapidi tristia damna rogi.

Heu quid vana optē, tumulisque emque occulit imis
Atra quies, omnes & sua fata manent.
Quamquam si tenebris aliqua se se eximit, alto
Nec penitus Lethes obrutus ille lacu est,
Cui decus ingenij quæsitum munere summum
Viuenti, & cultus gloria parta notis.
Scilicet haud totus morieris funere raptus
Bembe, tui & magna parte superstes eris:
Clarus & argutos inter celebrabere olores:
Quos Arnus, quos & Mincius amnis habet:
Nec sera eripiet latis tua nomina terris,
Cuncta potest quamuis imminuisse dies.
Aunnat fama (hāc donec tollet sua pēna) loquetur,
Ornabitque magis laudibus, atque magis,
Censentur quæcunque sacra vocalia Cyrrha
Et studia, & lusus, Pieriusque labor.
Sat iam cessandum questu, & lugubria plectra,
Lugubrem nobis fas posuisse lyram.
Sat fletum: atque ipsum tumulū iam cōdere tēpus,
Quem mandat Vati Musa parare suo,
Quà virides crescunt luci, vada propter amœna
Cœlina, & summis lapsa fluenta iugis.
Hic etiam extremo vt donetur honore, iacenti
Structa quoque in nostro stent monumenta solo,
Quis violæ indigenæ inspergant, & odora quotannis
Lilia, viuaci teque amaranthe coma,
Atque alios, quos dat flores, cum vernat aperto
Terra sinu, & cultu iussa virere nouo est.

Eius-

Eiusdem in eundem.

Bembe iaces, tecũque iacet quæ prima canendi est
Gloria, ad extremos non reticenda dies.
Bembe iaces, tecumque iacent cœlestibus apti
Mores, quos post hæc sæcula nulla ferant.
Bembe iaces tecumque iacet sincera voluntas,
Et qui nos prohibet dicere falsa pudor.
Bembe iaces, animique iacet laudabile tecum
Quicquid habet Latiũ, Græcia quicquid habet.

EX ELOGIIS IOVII.

Andreas Naugerius Patritij ordinis, Sabellico Venetijs profitente Latinas litteras, Græcas autem a Marco Musuro Cretense Pataui hausit. Sed in Latinis delectu, ac obseruatione pręceptore diligentior, illum, quem superior ætas insalubri atque aspera styli nouitate delectata contempserat, candorem antiquæ puritatis assequutus est: vt funebribus Liuiani ducis, & Principis Lauredani laudationibus apparet Proposito quidem Cicerone ad imitandum, quem Politianus, & Hermolaus fastidisse videbantur. *& infra.* Eodem pręstanti iudicio cum Epigrammata lepidissime scriberet, non salsis aculeatisque finibus, sed tenera illa, & predulci prisca suauitate claudebat, adeo Martiali seuerus hostis, vt quotannis, stato die suo natali Musis dicato, multa eius volumina, tanquam im-

PETRI BEMBI

Ad Sempronium, a quo fuerat reprehensus, quod materna lingua scripserit.

Non quod me geminas tenere linguas,
Et Graiam simul, & simul Latinam,
Semproni reputem, mei libelli
Materna tibi voce sunt loquuti.
Vt tanquam saturum hinnuloque aproque,
Vilem iuuerit esse me fasellum:
Quod tu carminibus tuis venustis
Permirum tibi dixeras videri,
Sed famæ veritus malæ periclum,
Campo versor in hoc loquutionis:
Quod dicam tibi. quem probo que amoque,
Quantum pignora vix amant parentes,
Vt cum noueris id, cauere possis.
Nam pol qua proauusque auusque lingua
Sunt olim meus & tuus loquuti,
Nostræ quaque loquuntur & sorores,
Et matertera nunc. & ipsa mater,
Nos nescire loqui magis pudendum est,
Qui Graiæ damus, & damus Latinæ
Studi tempora duplicemque curam:
Quam Graia simul & simul Latina
Hac vti vt valeas, tibi videndum est
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis & labore villas,
Domi te calamo tegas palistri.

Benacus

Benacus.

Te Giberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes,
Si modo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat, nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibus voluisse intexere chartis.
Nuntius vt vitreas Benaci vectus ad vndas,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atque Dei lætis impleuit vocibus aures,
Aduenisse diem, quo formosissima terræ
Ausoniæ Verona sacris, templisque regendis
Demissum cælo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet iuuenem, qualem vix ipsa petebat:
Forte pater gelido in luco, siluaque virenti:
Fontibus & riuis cubito subnixus & vrnæ
Iura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemque parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aureis
Collectos comptæ crines tempusque decorum,
Incinctæq; auro surasque sinusque fluentes
Vestibulo in thalami natæ, niueosque lacertos
Nudabant operi, quo pulcro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque Solaq;
Reddebant: sol æstiuos circumuagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allata deus post quam auribus hausit,
Promissosque olim fatis sibi lætus honores

Agnouit, tangens hærentem vligine barbam,
Demulcensque manu, iussit vicina vocari
Flumina: dein se se placidum conuexa sub alta
Spelunca senior solitaque in sede recepit.
Postera iam cælo stellas noctemque fugarat,
Lustrabatque dies multo terrasque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in vndis
Piscosusque altas inuoluens Lambrus arenas.
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasque interlitus auro.
Nec rapidus fluuioque Athesis spectandus amæno
Defuit, aut Pataui circumque intraque pererrans
Mænia Meduacus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboque sacrauit
Populifer ve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alueo,
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seque mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atque alis velatus arundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obuius, atque in tecta parentis saxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac vdos posuere sedilibus artus,
Crystallo rigida fultis, & iaspide glauca,
Continuo Nymphæ mensas ante ora Deorum,
Speluncæ in medio niueis mantilibus apte
Consternunt, dapibusque onerant. Dicteaq; plena
Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis.

Purpu-

Purpureoque rosa, Medorumque arboris albo:
Medorum quondam, sed quæ nunc plurima latas
Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suauique auras permulcet odore.
Post vbi prima quies epulis, Deus ipse magister
Vndifragi domitorque lacus, præsentia circum
Numina respiciens, his vocibus ora resoluit:
Quod votis toties ne quicquam optauimus vnũ
Vobiscum Diui, fausto modo fidere luces,
Vertentes luces fatorum orbisque ministra,
Aduexere: vehit pleno bona copia cornu;
Largaque pomifera prætendit munera dextra:
Quare vos primo longæui a semine mundi.
In mare fluctisonum prono labentia cursu,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Flos etenim iuuenum, longa formidine sæcla
Perdita qui soluat, quique agglomerata malorũ
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,
Bactra vltra, Thylemq; vltra, Scythiamq́; releget,
Quiq; vrbes, quiq; arua colat, Ioue missus ab ipso &
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Hic primum miseris viduatas ciuibus vrbes
Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,
Replebit numerum exæquans augensque priorem:
Oppidaque ingenti multum quassata ruina,
Prostratisque solo late mœrentia tectis,
Restituet, pulcroque dabit splendescere vultu.
Voluite maiores vaga flumina: voluite lymphas.
Magno nanque pij iuuenis deuinctus amore
Ethruscus pater, excelsas qui Tibridis arces
Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,

Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes
Suspiciens, obitosque inuicto corde labores,
Hoc dedit. has illi rerum permisit habenas.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quid memorē vt tener et primæ sub flore iuuētæ
Ingentem ad ludum properauerit auspicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic vndas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu casus victos superaueris omne,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansq; viam obstrueret torrentibus imber,
Pœninas vel per fauces tractusque volantem
Aerios, summo miseratæ vertice Nymphæ
Optauere graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
Astitit vnigena proles vt Iouis, bona mater:
Vt mater bona, quæ caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
Ipse meas artes iam nunc tibi dixit habeto.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluuiorũ, nemorumq; ferax, pecudumq; virumq;
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:
Diuersoque iugo ad ventos, interque cadentem

Surgentemque diem longo protenta Pyrene.
Altis quæ geminas despectat frontibus undas.
Tum dictis factisque potens illa inclyta bello,
Lataque & in latas Hispania diffita terras.
Voluite maiores vaga flumina voluite lymphas.
Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant,
Acceptos conuersa sonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis & Adriacus, paruo qui flumine Rhœnus
Lābit humū: testis Thuscis haud maximus undis
Maior prole virum, & diuinos Arnus honores
Promeritus, cælum diuisque recentibus augens
Pulcros qui colles, pulcramque interfecat vrbem:
Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
Illius in studiis iandudum & amore quiescit.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas,
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni,
Iam non curarum, non commemorare laborum
Vna potes? tolle egregium per sæcula nemen,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Aetna,
Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens.
Tantum clara virum Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cælestum concessit honores
Antiquis cumulans: at tu præsentia sæcla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Ecce tibi læto vestit se gramine tellus,

Et

Et tibi silua comas nutrit: tibi pabula surgunt:
Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahant vel arundine longa
Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam.
Et plectrum, & cithar, scräiptasque ab Apolline chartas,
Aeternum quas ediscant, celebrentque minores.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nymphæ,
Luteolum calthæ florem, casiamque virentem,
Liliaque, violasque, & purpureos hyacinthos.
Haud porxisse prius poterant: bella horrida bella
Pertulimus, dulces & deformauimus agros.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Vt cum letifer os accendit Sirius ignes,
Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
Pellet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustę:
Arua colit nemo siccis arentia glebis.
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cunta iacent nimio cæli contusa calore:
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At postquam latos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas, hortus flores, pratū explicat herbas:

Ipsa

Ipsa viret tellus: ripa collesque nitescunt:
Dant segetem sulci: nemus altas sufficit vmbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos:
Ruris turba deam venerata ligonibus vdam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cæli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes,
Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo
Deuehis, hunc olim vobis multosque per annos
Sit satis o tenuisse: meam mihi iam date partem:
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

Pro Goritio votum ad Deum cui ædiculam exædificauerat.

Sancta, quibus propriam posuit Goritius aram
Numina: perpetuosque ara sacrauit honores,
Humani columen generis, diuina puella,
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuina genitrix augusta puella,
Felix sorte tua, felix nata atque nepote,
Aethereiq; puer magnum patris incrementum,
Arte boni, quos egregia caloque Sauini
Spectari, Pario & spirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite, si sacrorum vnquam pia carmina vatũ,
Et casta mouere preces calestia corda,
Reddite qua posco, mea nec sint irrita vota:

Vt qu s longa dies miseris mortalibus olim
Aduectat varios senio veniente labores,
Ægrum animum, & segnes effœto in corpore sensus,
Inque solum pronos vultus, nixisq; bacillum
Poplitibus, tardosq; gradus, tremebundaq; mēbra
Tum crebras lacrymis causas, & dura suorum
Funera, & euersos mutata sorte penates,
Quæq; alia ex aliis passim mala consternatas
Implerunt terras cupidi post furta Promethei:
Horum ille immunis totos centum expleat annos
Auspiciis superi vestris, & numine vestro
Integer. vt nunc est, nec longæ damna senectæ
Sentiat: & carus patriæ, iucundus amicis,
Diues opum, Roma incolumi Latio que fruatur.

Hymnus ad Beatum Stephanum.

Nam quæ te culpa & sceleris tam dira cupido
Infelix solyme, & sæclis damnanda futuri,
Corrupuit? tantas aut quis furor egit in iras?
Vt iuuenem patris ætherei præcepta canentem
Dicta tibi, & veterum referantem oracula vatū
Præstanti eloquio, teque ad meliora vocantem,
Compita per medias que vias e mœnibus vrbis
Illusum expuleris: tum cæca perdita mente
Concursu pressum ingenti, saxisque petitum,
Nudatos artus, ceu quondam grandine densa
Iuppiter ingeminans terram quatit æthere ab alto,
Crudelis leto dederis nil tale merentem?
Ille quidem placido sustollens lumina vultu,

Lustra-

Lustrabatque oculi: cælum, intrepidusque pericli
Laudabat superos, & spe sua damna leuabat:
Cui se, quantus erat, manifesta in luce videndum
Ipse pater Diuum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cum iam sub fine laborum
Disiectus duro frontem & caua tempora nimbo,
Iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis
Pro scelere immani moriens, pro talibus ausis,
Ah veniam superos anima fugiente rogabat:
Placebat superos hosti iam frigida lingua.
Salue bis senis lectus parere magistris,
Macte animo puer egregio & præstantibus ausis,
Macte nece, & veris magnum, decus addite Diuis.
Tu princeps ignominiam, plagasque cruentas,
Et longum memoranda nepotibus aspera fata
Magnanimi post Herois, quem candida partu
Cœlicolum regi tecto sub paupere Nympha
Non vllam Venerem, nullos experta hymenæos,
Ediderat patrij flauas Iordanis ad vndas,
Testis ades facti: sacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conspergis Idumes:
Et pulcræ insolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxisse corone:
Vnde tibi grati nomen dixere minores.
Te colimus: certo tibi tempore sacra quotannis
Rite damus, & tura tuis imponimus aris.
Quod si vlla o votisq; hominū precibusq; mouētur
Numina, nec cunctis adeo stat perdere Diuis
Ausoniam, populosque Italos, nomenque Latinum.
Atque malis prope iam confecta mœnia Romæ,
Sancte

Quo vere Medicis orte parentibus?
Quo Laurens raperis nepos;
Tecum spes Itali Martis obit noua,
Verum vt ciuis, vt aduena
Hunc desideriis lugeat anxijs:
Non te diue Leo tamen
Mutat plus nimio dura necessitas.
Sic cum Magdaleos pudor,
Sic cum deseruit te soror altera,
Sic cum iunior occidit
Frater, dos animi quem tibi iunxerat,
Quamuis sanguinis arctius.
Nam virtutum apices legarat omnium.
Quo te cunque petit modo,
Fors. tectum clypeis pectus aheneis
Offers strenuus vndique
Aduersisque adeo fortior ictibus.
Tum nouit sapiens probe,
Quæ vulgus maneant vincula noxium,
Quæ pœnæ, simul horridum
Verbum Tartarei iudicis audiit.
Quæ rursus loca debita his,
Qui vitam ingenuis, moribus egerint.
Illic perpetuus dies,
Nec perturbat hiems gaudia tristior,
Aut versa vice Sirius
Non remis tumidum vertere opus mare,
Vt fias opulentior.
Nec glebam rigido vomere findere
Cogunt irrita commoda.
Illic Oceano patre Fauonij

Spirant

Spirant non ſine flumine
Manante auricomis lene ſub arbutis.
Vltra denique nil cupit,
Eſſe in diuitibus cui licet inſulis.
Quas ſaturnus habet R*hea*
Coniux, veſter vbi Coſmus, vbi duo
Petri, & non piger emeri
Anticuum patruus Iulius ob larem.
Cui ſub funera hic editus
Diuum in lumen habens nomen idem patri,
Carus tanquam oculi tibi,
Quod comi ingenio prædito, & graui.
Quod prudens alios ſupra
Te tam magni oneris dimidio leuat.
Quod doctos colit hoſpites
Quod toto miſeros excipiens ſinu,
Et plantis tumidos premens,
Sublimis vacuum contigit æthera,
Sed quid prouehor impotens?
E clauo melius barbite pendeas.
Et puluis numerum fugit:
Nec digne Medicum tu reſones genus.
Sit tentaſſe aliquid tamen:
Non quiſquis ſpatijs ſudat olympicis,
Veloces agitans equos,
Pulcris iuncta refert tempora frondibus.

PETRI BEMBI

Ad Sempronium, a quo fuerat reprehensus, quod materna lingua scripserit.

Non quod me geminas tenere linguas,
Et Graiam simul, & simul Latinam,
Semproni reputem, mei libelli
Materna tibi voce sunt loquuti.
Vt tanquam saturum hinnuloque aproque,
Vilem iuuerit esse me fasellum:
Quod tu carminibus tuis venustis
Permirum tibi dixeras videri,
Sed famæ veritus malæ periclum,
Campo versor in hoc loquutionis:
Quod dicam tibi. quem probo que amoque,
Quantum pignora vix amant parentes,
Vt cum noueris id, cauere possis.
Nam pol qua proauusque auusque lingua
Sunt olim meus & tuus loquuti,
Nostræ quaque loquuntur & sorores,
Et matertera nunc. & ipsa mater,
Nos nescire loqui magis pudendum est,
Qui Graiæ damus, & damus Latinæ
Studi tempora duplicemque curam:
Quam Graia simul & simul Latina
Hac vti vt valeas; tibi videndum est
Ne dum marmoreas remota in ora
Sumptu construis & labore villas,
Domi te calamo tegas palistri.

Benacus.

Te Giberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioque tuas attingere laudes,
Si modo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat, nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere famæ,
Et magnum breuibus voluisse intexere chartis.
Nuntius vt vitreas Benaci vectus ad vndas,
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atque Dei lætis impleuit vocibus aures,
Aduenisse diem, quo formosissima terra
Ausoniæ Verona sacris, templisque regendis
Demissum cælo, & magnis virtutibus auctum
Acciperet iuuenem, qualem vix ipsa petebat:
Forte pater gelido in luco, siluaque virenti:
Fontibus & riuis cubito subnixus & vrnæ
Iura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemque parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aures
Collectos comptæ crines tempusque decorum,
Incinctæq; auro surasque sinusque fluentes
Vestibulo in thalami natæ, niueosque lacertos
Nudabant operi, quo pulcro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeque Solaq;
Reddebant: sol æstiuos circumuagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allata deus post quam auribus hausit,
Promissosque olim fatis sibi lætus honores

Agnouit, tangens hærentem vligine barbam,
Demulcensque manu, iussit vicina vocari
Flumina: dein se se placidum conuexa sub alta
Speluncæ senior solitaque in sede recepit.
Postera iam cælo stellas noctemque fugarat,
Lustrabatque dies multo terrasque fretumque
Lumine, cum nitidis venit Ticinus in vndis
Piscosusque altas inuoluens Lambrus arenas.
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasque interlitus auro.
Nec rapidus fluuioque Athesis spectandus amæno
Defuit, aut Pataui circumque intraque pererrans
Mænia Meduacus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboque sacrauit
Populifer ve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alueo,
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seque mari septenis amnibus infert.
Quos tunc atque alis velatus arundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obuius, atque in tecta parentis saxea duxit,
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac vdos posuere sedilibus artus,
Crystallo rigida fultis, & iaspide glauca,
Continuo Nymphæ mensas ante ora Deorum,
Speluncæ in medio niueis mantilibus apte
Consternunt, dapibusque onerant. Dicteaq; plena
Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
Præcingunt myrto, atque implexis flore coronis.

Purpureoque rosa, Medorumque arboris albo:
Medorum quendam, sed qua nunc plurima latas
Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suauique auras permulcet odore.
Post vbi prima quies epulis, Deus ipse magister
Vndifragi domitorque lacus, prasentia circum
Numina respiciens, his vocibus ora resoluit:
Quod votis toties ne quicquam optauimus vnũ
Vobiscum Diui, fausto modo fidere luces,
Vertentes luces fatorum orbisque ministra,
Aduexere: vehit pleno bona copia cornu;
Largaque pomifera pratendit munera dextra:
Quare vos primo longaui a semine mundi,
In mare fluctisonum prono labentia cursu,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Flos etenim iuuenum, longa formidine saecla
Perdita qui soluat, quique agglomerata malorũ
Agmina tot bellique faces, quas vidimus ipsi,
Bactra vltra, Thylemq; vltra, Scythiamq; releget,
Quiq; vrbes, quiq; arua colat, Ioue missus ab ipso &
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Hic primum miseris viduatas ciuibus vrbes
Accipiens, vacuosque suis cultoribus agros,
Replebit numerum exaquans augensque priorem:
Oppidaque ingenti multum quassata ruina,
Prostratisque solo late mœrentia tectis,
Restituet, pulcroque dabit splendescere vultu.
Voluite maiores vaga flumina: voluite lymphas.
Magno nanque pij iuuenis deuinctus amore
Ethruscus pater, excelsas qui Tibridis arces
Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,

Illius eximias virtutes, claraque docti
Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes
Suspiciens, obitosque inuicto corde labores,
Hoc dedit. has illi rerum permisit habenas.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quid memorē vt tener et primæ sub flore iuuētæ
Ingentem ad ludum properauerit auspicibus Dis:
Indole dein quanta nixus, quam fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic vndas rerum excipiens, & plena pericli
Multa diu casus victos superaueris omne,
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Sæpe illum abruptis in vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansq; viam obstrueret torrentibus imber,
Pœninas vel per fauces tractusque volantem
Aerios, summo miseratæ vertice Nymphæ
Optauere graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti,
Astitit vnigena proles vt Iouis, bona mater:
Vt mater bona, que caro timet omnia nato,
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
Ipse meas artes iam nunc tibi dixit habeto.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluuiorũ, nemorumq; ferax, pecudumq; virumq;
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:
Diuersoque iugo ad ventos, interque cadentem
Sur-

Surgentemque diem longo protenta Pyrene.
Altis quæ geminas despectat frontibus undas.
Tum dictis factisque potens illa inclyta bello,
Lataque & in latas Hispania dissita terras.
Voluite maiores vaga flumina voluite lymphas.
Hæ nam te insolita orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Giberte videbant,
Acceptos conuersa sonos cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis & Adriacus; paruo qui flumine Rhœnus
Lābit humū: testis Thuscis haud maximus vndis
Maior prole virum, & diuinos Arnus honores
Promeritus, cælum diuisque recentibus augens
Pulcros qui colles, pulcramque interseca t vrbem:
Gens quorum imperio dispar, nec legibus æqua,
Illius in studiis iandudum & amore quiescit.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas,
Tu vero tu Roma tui genus ecquod alumni,
Iam non curarum, non commemorare laborum
Vna potes? tolle egregium per secula nomen,
Tolle decus, daque alta virum volitare per ora.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Aetna,
Aut cinctus stellis Altas, aut Caucasus ingens:
Tantum clara virum Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cælestum concessit honores
Antiquis cumulans: at tu præsentia secla
Firmabis, veterumque abolebis damna malorum.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Ecce tibi lato vestit se gramine tellus,

Et

Et tibi silua comas nutrit: tibi pabula surgunt:
Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahant vel arundine longa
Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam.
Et plectrum, & cithar, scriptasque ab Apolline chartas,
Aeternum quas ediscant, celebrentque minores.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ calathis porgunt tibi munera Nym*phæ,*
Luteolum calthæ florem, casiamque virentem,
Liliaque, violasque, & purpureos hyacinthos.
Haud porxisse prius poterant: bella horrida bella
Pertulimus, dulces & deformauimus agros.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas
Vt cum letifer os accendit Sirius ignes,
Riuus aquas, hortus flores, pratum inuidet herbas:
Pellet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos sitiens fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustæ:
Arua colit nemo siccis arentia glebis.
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cunta iacent nimio cæli contusa calore:
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At postquam latos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas, hortus flores, pratũ explicat herbas:

Ipsa

Ipsa viret tellus: ripa collesque nitescunt:
Dant segetem sulci: nemus altas sufficit vmbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos:
Ruris turba deam venerata ligonibus vdam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cæli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes,
Tuque pater Tiberine, tuum qui flumen Olympo
Deuehis, hunc olim vobis multosque per annos
Sit satis o tenuisse: meam mihi iam date partem:
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

Pro Goritio votum ad Deum cui ædiculam exædificauerat.

Sancta, quibus propriam posuit Goritius aram
Numina: perpetuosque aræ sacrauit honores,
Humani columen generis, diuina puella,
Ipse sibi legit summi quam rector olympi,
Et tu diuina genitrix augusta puella,
Felix sorte tua, felix nata atque nepote,
Aethereiq; puer magnum patris incrementum,
Arte boni, quos egregia cæloque Sauini
Spectari, Pario & spirare in marmore fecit,
Hac vos pro pietate illi, pro munere tali
Reddite, si sacrorum vnquam pia carmina vatũ,
Et casta mouere preces cælestia corda,
Reddite quæ posco, mea nec sint irrita vota:

Lustrabatque oculi: cælum, intrepidusque pericli
Laudabat superos, & spe sua damna leuabat:
Cui se, quantus erat, manifesta in luce uidendum
Ipse pater Diuum dederat cum compare nato
Sublimis, medioque illi fulgebat olympo.
Quin etiam extremo cum iam sub fine laborum
Disiectus duro frontem & caua tempora nimbo,
Iret iter propius leti, tamen hostibus ipsis
Pro scelere immani moriens, pro talibus ausis,
Ah veniam superos anima fugiente rogabat:
Placebat superos hosti iam frigida lingua.
Salue bis senis lectus parere magistris,
Macte animo puer egregio & præstantibus ausis,
Macte nece, & veris magnum, decus addite Diuis.
Tu princeps ignominiam, plagasque cruentas,
Et longum memoranda nepotibus aspera fata
Magnanimi post Herois, quem candida partu
Cœlicolum regi tecto sub paupere Nympha
Non vllam Venorem, nullos experta hymenæos,
Ediderat patrij flauas Iordanis ad vndas,
Testis ades facti: sacro tu primus ab illis
Sanguine palmiferæ terram conspergis Idumes:
Et pulcræ insolitos decerpens laudis honores
Purpurea gaudes frontem cinxisse corone:
Vnde tibi grati nomen dixere minores.
Te colimus: certo tibi tempore sacra quotannis
Rite damus, & tura tuis imponimus aris.
Quod si vlla o votisq; hominũ precibusq; mouetur
Numina, nec cunctis adeo stat perdere Diuis
Ausoniam, populosque Italos, nomenque Latinum.
Atque malis prope iam confecta mœnia Romæ,

Sancte

Sancte veni, cœtusque tuos, tuaque aurea templa
Lætiquæ festa velamus fronde per urbes,
Dexter adi, placidusque animis illabere nostris:
Ac primum miseris bellorum & cædis amorem,
Da pater exuere, & tercentum mittere in annos:
Tigrimque Tanaimque vltra, & post ferre quietẽ
Sollicitos populi fasces, adiectaque regnis
Regna super, validoque vndantia milite castra,
Et pacem venerari, & mitia vertere duris:
Dein pestes scelerum tantorum, atq; agmine lõgo
Multa odij concreta modis mala semina diris,
Infectasque diu labes, & crimina purga
Heu solito grauiora, irasque auerte Deorum.

Politiani tumulus.

Duceret extincto cum mors Laurente trhiũphum,
Lætaque pullatis inueheretur equis.
Respicit insano ferientem pollice chordas,
Viscera singultu concutiente virum.
Mirata est, tenuitque iugum: furit ipse, pioque
Laurentem cunctos flagitat ore Deos.
Miscebat precibus lacrymas, lacrymisque dolorem,
Verba ministrabat liberiora dolor.
Risit, & antiquæ non immemor illa querelæ,
Orphi Tartareæ cum patuere viæ,
Hic etiam infernas tentat rescindere leges,
Fertque suas dixit, in mea iura manus.
Protinus & flentem percussit dura Poetam,
Rupit & in medio pectora docta sono.
Heu sic tu raptus, sic te mala fata tulerunt,
Arbiter Ausoniæ Politiane lyræ.

Iulij

Iiulij secundi Pontificatus Maximus.

Illa pijs populis mundoque accepta recenti,
(Sub Ioue cum non dum ferreus orbis erat,
Nec proscissa graues vertebant arua iuuenci,
Vinea nec lacrymas falce resecta dabat:
Mella sed aeria sudabant roscida silua,
Et lac pro gelida flumen habebat aqua..)
Nunc o nũc redit adprimos bona quercus honores,
Quos habuit, mundi cum tener orbis erat,
Quercus grande sua qua quondam Heroas alebat,
Cura deum Quercus sancta, piumque nemus.
Dignaque Cecropia pinguis cui silua Minerua
Cedat, & Herculeis populus apta comis:
Cedat & ipsa suo laurus Phœbeia luco,
Inflexaq; pedem Bacchica serta edera,
Vel myrti Veneris, vel Siluani cyparissi,
Vel qua capripedi pinus amata Deo est.
Nanque boni mores nostro rediere sub æuo.
Vt primum posito constitit illa situ:
Simplicitasque inculta comam, rectique cupido,
Et lex, & probitas, & sine labe fides.
Nec redit ad primos tantũ bona quercus honores,
Quos habuit mundi cum tener orbis erat:
Sed prouecta solo nitidis caput inserit astris,
Quantum homines aluit, tantũ alitura Deos.

Caroli Bembi Fratris.
Epitaphium.

Qualis honos cæli: puro cum surgit Olympo
Lucifer, & fessis clarum caput exerit astris:
Tale decus te Bembe tuis mala fata tulerunt.

Philippi Beroaldi Minoris.
Epitaphium.

Felsina te genuit, colles rapuere Quirini,
Longum audita quibus Musa diserta tua est.
Illa dedit rerum domino platuisse Leoni,
Thebanos Latio dum canis ore modos.
Vnanimes reptum ante diem fleuere sodales:
Nec Decimo sanctæ non maduere genæ.
Quæ pietas, Beroalde fuit tua, credere verum est.
Carmina nunc cæli te canere ad citharam.

Iacobi Sinceri Sanazarij
Epitaphium

Da sacro cineri flores: hic ille Maroni,
Sincerus Musa proximus vt tumulo.

Lucilij Bembi Filij Epitaphium.

O multum dilecte puer, quæ dura parenti
Fortuna inuidit te superesse tuo?
Quam producebam lætus te sospite vitam,
Erepto peior morte relicta mihi est.

Raphae-

Raphaelis Vrbinatis pictoris Epitaphium.

Hic ille est Raphael, metuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

IN PETRI BEMBI CARDINALIS MORTEM AC LAVDEM.

Ecloga incerti auctoris.

ARGVMENTVM.

HAC Ecloga Illustrissimi & reuerendissimi Cardinalis Bembi obitus, sub Meliboei persona defletur ab eximio viro Carolo Gualterutio, qui illum vnice dilexit & obseruauit & Lycidæ nomine intelligitur. Hunc prudentissime simul & religiose consolatur vir integerrimus ALOYSIVS Priolus, quem per Amyntam intelligi Poeta voluit.

MELIBOEVS.

Amyntas & Lycidas.

AMY. En vitrei Lycida fontes; vmbræq; salubres,
En virides pinus, violisque nitentia prata.
En quos sæpe tuo lusu celebrare recessus,
Quæ mulcere nouo suetus nemora auia cantu,

Hic te certantem Satyrorum effrena iuuentus,
Te Dryades Nymphæ, te Naiades admiratæ:
Panque ipse, argutis resonant cui Mænala siluis.
Vt siluit tua Musa, horrent deformina prata.
Quique prius vmbras lucus præbebat opacas,
Idem formosis viduatus frondibus aret,
Fontis & exhausit liquidas sol igneus vndas.
Eloquar an sileam, quæ tanti causa doloris?
Aut mea quid cesset taciturnis fistula siluis?
LYC. Ille heu, ille vnus quondam mihi carus Amynta,
Qui dum Aurora rotas Eois tolleret vndis,
Mecum vna in vacuos saltus armenta solebat
Ducere: nunc eheu fato est ereptus acerbo.
Ille per Vrobios montes, vallesque reductas,
Ille per Etruscas rupes; atque auia saxa,
Ille per Euganeas cantu celeberrimus oras.
Illum etiam Latij montes; frigidus Almo
Obstupuit, mediamque secat qui Lydius vrbem
Tibris, & auratæ pratentat cornua frontis.
Tantus honos doctæ vocis tam sancta verendi
Maiestas oris tot honesti pectoris artes;
Hic dare suetus erat armenti iura magistris,
Ruricolumque vnus mœstas sedare querelas.
Hic, cum sol primo lustraret lumine terras,
Et medio persæpe die; cum Syrius arua
Vreret, & valido gemeret grauis area pulsu,
Vel fesso Hesperium curru properaret in æquor,
Mollibus in ripis, muscosi fontis ad vndam,
Et viridis vacua salicis proiectus in vmbra,
Pastores blanda mulcere solebat auena,

Et rixa abductos ad pacis dona vocare.
Huius ad inferias, & funus mœsta senile,
Alma Venus luxit, parui luxistis Amores.
Ipse faces, arcusque suos, ac tela Cupido,
Et pharetram amissis abiecit flebilis alis
Te mœrens fleuit pastor, te durus arator.
Te mœsta exstinctum Dryades, tristesque Napeæ.
Te fragiles coryli, atque ipsæ fleuere myricæ,
Non aliter quam si iuuenem te fata tulissent.
Sed felix Melibœe vale, multosque per annos
Ossa beata precor tuta requiescite in vrna.

AMY. Magna quidem fateor Lycida est tibi causa dolendi,
Si quantum Euganeis, quantũ Laurẽtibus aruis,
Præsidium abstulerint superi atque immitia fata,
Tecum agites. Contra memori si mente volutes,
Quã blando semper diuumq; hominumq; fauore,
Omnia matura complerit munia vitæ,
Quæ tandem inuidia est, vmbras, & inania vota
Si fugiens alios demum secessit in orbes?
Si tenet Elysios campos, sedesque beatas?
Atque inter siluas & amœna vireta vagatur?
Hic, vbi cælestes concentus aera mulcent.
Et mille arguto decurrunt murmure riui.
Fertq; rosas inculta seges, fert vndique flores.
Non illic litui, non Martia classica possunt
Æternam placidæ mentis turbare quietem:
Hinc & luxuries, & habendi insana cupido,
Et metus omnis abest: at adest sincera voluptas,
At secura quies, at fraudum nescia corda.
Felix, o Melibœe nouum decus addite diuis,

Sub pedibus nubes, atque ignea sidera latus
Miraris, spectans maria alta tumescere ventis,
Pendat at vtq; ingens æquo discrimine mundus.
Tum nos, & tua rura simul pater optime cernis.
Ex alto nostros cælo miserate labores,
Ante Dei solium magni non vana precaris.
Ergo tuos demens Lycida iam desine questus,
Nec mœstis comple frustra clamoribus auras:
Sed tumulus vernis niteat violisque, rosisque,
Et fluat in cineres nardus, nec desit amomum,
Assyrio stillet venerabilis vrna liquore,
Æternumque madens, Panchæis mercibus halet
Nos, quoniã tacitis properat nox atra quadrigis,
Et sol Hesperio iam mergit in æquore currus,
Securum pastas pecudes in ouile vocemus.

Leonardi Fusci Foroiuliensis, in Cardinalis Bembi obitu.
Elegia.

Dum vacat, hic patriæ secessus inter opacos,
Quæq; aura, & multo deuia colle placent,
Mecum vna indulgens vesano Musa dolori,
Dic age *lugubri carmina mœsta sono.*
Flendi obitus nobis, & tristia funera Bembi,
Funera quæ lacrymis haud decorare nefas
Quæ docta, quæ vos tum causa morata sorores,
Nec *passa Adriacæ est Thetyos ire freta.*
Amissum ingemeret Bembum cum Nereis *illic,*
Ac longe in medijs conquereretur aquis,
C*œruleũ os: glaucosque sinus, fletu humida largo*

Canaque roranti pectora tunsa manu?
Vos decuit magnæ in partem properare querelæ,
Certatim & luctus ingeminare graues:
Nulli hic quam vobis mage flebilis occidit, artes
Quarum adeo, & sanctos auxit honore choros.
Sæpe oras olim assuetus lustrare repostas
Phocidos, atque umbris auia grata suis:
Sæpe iuga, irriguique Heliconis fontibus antra,
Antra nisi a casto non adeunda pede,
Illum, ubi victuro ditastis carmine, vestras
Largius, vni omnes & tribuistis opes,
Vt foret extenso quo se Adria tolleret æuo,
Iactaretque suas vate superbus aquas.
Vate, comas cui non solum, & pia tempora compsit,
Quæ Cynthi intonso est arbor amata deo,
Verum & Tarpeio data pilea rubra tonante,
Quique nitet roseo murice tinctus apex.
At non infelix istis tibi cultibus, isto
Ornatu, longum Rembe nitere datum est,
Quodoquidem exacto lustri vix tēpore, postquam
Hæc vltro dederat munera Paulus, obis.
Et te non pietas, eheu, tutata merentem,
Non & relligio casta fidesque fuit,
Priscave simplicitas, ac candor pectoris, ipsa
Qualem Sythoniæ vix habuere niues,
Atque æqui semper cultrix, & nescia fœdi
Criminis, a turpi & mens aliena probro.
Crudeles Parcæ vestrum si fila colusque,
Tot dotes, tot non sueta mouere bona,
Queis insignem atrox funus nescire decebat,
Vitare & rapidi tristia damna rogi.

Heu quid vana optē, tumulisquemque occulit imis
Atra quies, omnes & sua fata manent.
Quamquam si tenebris aliqua se se eximit, alto
Nec penitus Lethes obrutus ille lacu est,
Cui decus ingenij quæsitum munere summum
Viuenti, & cultus gloria parta notis.
Scilicet haud totus morieris funere raptus
Bembe, tui & magna parte superstes eris:
Clarus & argutos inter celebrabere olores.
Quos Arnus, quos & Mincius amnis habet:
Nec sera eripiet latis tua nomina terris,
Cuncta potest quamuis imminuisse dies.
Aunnat fama (hāc donec tollet sua pēna) loquetur,
Ornabitque magis ladibus, atque magis,
Censentur quadcunque sacræ vocalia Cyrrhæ
Et studia, & lusus, Pieriusque labor.
Sat iam cessandum questu, & lugubria plectra,
Lugubrem nobis fas posuisse lyram.
Sat fletum: atque ipsum tumulū iam cōdere tēpus,
Quem mandat Vati Musa parare suo,
Quà virides crescuntluci, vada propter amœna
Cœlina, & summis lapsa fluenta iugis.
Hic etiam extremo vt donetur honore, iacenti
Structa quoque in nostro stent monumenta solo,
Quis violæ indigenæ inspergant, & odora quotannis
Lilia, viuaci teque amaranthe coma,
Atque alios, quos dat flores, cum vernat aperto
Terra sinu, & cultu iussa virere nouo est.

Eiusdem in eundem.

Bembe iaces, tecũque iacet quæ prima canendi est
Gloria, ad extremos non reticenda dies.
Bembe iaces, tecumque iacent cœlestibus apti
Mores, quos post hac sæcula nulla ferant.
Bembe iaces tecumque iacet sincera voluntas,
Et qui nos prohibet dicere falsa pudor.
Bembe iaces, animique iacet laudabile tecum
Quicquid habet Latiũ, Græcia quicquid habet.

EX ELOGIIS IOVII.

Andreas Naugerius Patritij ordinis, Sabellico Venetijs profitente Latinas litteras, Græcas autem a Marco Musuro Cretense Patauij hausit. Sed in Latinis delectu, ac obseruatione preceptore diligentior, illum, quem superior ætas insalubri atque aspera styli nouitate delectata contempserat, candorem antiquæ puritatis assequutus est: vt funebribus Liuiani ducis, & Principis Lauredani laudationibus apparet Proposito quidem Cicerone ad imitandum, quem Politianus, & Hermolaus fastidisse videbantur. *& infra.* Eodem prestanti iudicio cum Epigrammata lepidissime scriberet, non salsis aculeatisque finibus, sed tenera illa, & predulci prisca suauitate claudebat, adeo Martiali seuerus hostis, vt quotannis, stato die suo natali Musis dicato, multa eius volumina, tanquam im-

pure, cum execratione Vulcano dicarentur. Nec minore felicitate Ethruscos numeros attigit *& quæ sequuntur.*

Io. Matthæi Toscani.

Hic Naugerius ille, Martialis
Lasciui petulantiam perosus,
Et musas sine fine prurientes,
Læso cuncta quibus licent pudore,
Non iam virginibus, sed impudicis.
At castas voluit suas Camœnas
Hic Naugerius esse; sicque amores
Cantare. vt tenerum colant pudorem.
Hunc ergo pueri puellulæque
Crebri voluite, quippe Martiale
Nec doctum minus & magis pudicum.

ANDREAE NAVGERII PATRICII VENETI LVSVS.

ASpice magna Ceres tibi quos semente peracta
Ducimus agrestes, rustica turba, choros.
Tu face ne nimio semen putrescat ab imbre:
Neu sulcos rapido frigore rumpat hyems.
Neu sterilis surgat silua infelicis auenæ:
Et quæcunque bonis frugibus herba nocet:
Neu terræ prostrata animosi flatibus Euri
Decidat, aut densa grandine læsa seges:
Neu direpta auidæ rapiant frumenta volucres:
Monstra ve, quæ terræ plurima sæpe ferunt.

Sed

Sed quæ credidimus bene cultis semina campis:
Vberius largo fœnore reddat ager.
Sic erit. interea niuei carchesia lactis
Fundite, & annosa mella liquata mero.
Terque satas circum felix eat hostia fruges:
Cæsaque mox sanctos corruat ante focos.
Nunc satis hæc. post messem alij reddētur honores:
Et sacras cingent spicea serta comas

Inscriptio fontis ex Græco.

Et gelidus fons est & nulla salubrior vnda,
Et molli circum gramine terra viret:
Et ramis arcent soles frondentibus alni:
Et leuis in nullo gratior aura loco est:
Et medio Titan nunc ardentissimus axe est:
Exustusque graui sidere feruet ager.
Siste viator iter; nimio iam torridus æstu es.
Iam nequeunt lassi longius ire pedes,
Accubitu languorē, æstum aura, vmbraq́ virenti,
Perspicuo poteris fonte leuare sitim.

Tumulus Hylacis canis.

Ante canes omnes pastori carus Amyntæ
Nuper ab Illyrico littore missus Hylax,
Dum solitas agit excubias, & septa tuetur:
Nec vigilant socij cætera turba canes:
Qua rapidus se se media inter saxa Timauus
Mergit: & inde iterum prosilit amne nouo:
Ille quidem sæua vitulos tutatus ab vrsa est:

Ipse sed ingenti vulnere casus, obit.
Constituit viridi tumulum de cespite Amyntas:
Hac voluit raram præmia habere fidem.
Mæsta gemunt armenta: mali fureſque, lupique
Extincto hoc sibi iam cuncta licere putant.

De Pythagoræ simulacro.

Quem toties vixisse anima redeunte renatum
Mutato fama est corpore Pythagoram:
Cerne iterum vt docti cœlo generatus Asyla
Viuat: vt antiquum seruet in oro decus.
Dignum aliquid certe voluit: sic fronte seuera est:
Sic in se magno pectore totus abit.
Posset & ille altos animi depromere sensus:
Sed veteri obstrictus religione, silet.

In Angelum Gabrielem Hymnus

Iam cæli reserat fores
Aurato thalamo exiens
Mater Memnonis, & diem
Læto prouocat ore.
Nos te maxime maximi
Minister caninus patris:
Quo nullus qui ominum genus
Tam præsens iuuet, vsquam est.
Tu nostras celer ad preces,
Aures protinus ad Deum has
Defers: nec tenues sinis
Euanescere in auras.

Tu,

Tu, dum fers noua nuntia
Virgini æterno patri
Dilectæ, quibus indicas
Magni vota tonantis,
Nobis fers noua nuntia:
Quis e faucibus impij
Erepti hostis, in aurea
Cæli templa vacamur.
Adsis bone: & in dies
Semper nos propius iuua:
Nec patrocinio tuo
Vnquam mitte tueri.

Ad vrbem Patauium.

Vrbs, quam vetusto vectus ab Ilio
Post fata Troum tristia, post graues
Tot patriæ exaustos iniquo
Tempore, tot pelago labores,
Ducente demum Pallade, quà rapax
Cultos per egros Medoacus fluit,
Dijs fretus Antenor secundis
Condidit Euganeis in oris,
Tu nuper & flos, & decus vrbium,
Quascunque tellus Italia continet:
Magnas tot artes, tot virorum
Ingenia, & studia vna alebas.
Te septicornis Danubij accola,
Te fulua potant flumine qui Tagi,
Longeq; semoti Britanni
Cultum animi ad capiendum adhibant.

At nunc, acerbi heu sæua necessitas
Fati, seueras vt pateris vices:
Vt te ipse vastatam vel hosti
Conspicio miserandam iniquo.
Quid culta tot pomaria conquerar?
Tot pulchra flammis hausta suburbia?
Quid glande deturbata ahena
Mœnia? præcipitemq; sæui
Mauortis iram, bellaq; persequar
Horrenda? squammis ille adamantinis,
Ferroq; consertam rigenti
Induerat clamydem trilicem:
Fremensq; & atrum letifera manu
Telum coruscans secum odia, & necis
Contemptum, & insanos tumultus,
Secum animos, rabiemq; agebat.
Ille vrbe ab imis sedibus eruta
Implesset omnes funeribus domos:
Non ille vel sexu, vel vllo
Efferus abstinuisset æuo.

Ex Philemone

Si quid remedi lacrymæ afferrent malis,
Minorque semper fieret lugenti dolor,
Auro parandæ lacrymæ nobis forent.
Sed nil here istæc prosunt, res ipsæ nihil
Mouentur istis, siue tu semper fleas,
Seu nunquam, eandem pergere insistent viam.
Quid his iuuamur ergo? nil certe, at dolor,
Vt ipsa fructus arbor, sic lacrymas habet.

DE M. ANTONIO CASANOVA, *ex Elogijs Pauli Iouij.*

M. Ant. Casanouæ, Comense patre Romæ genito arguti Epigrammatis palmam detulit illa ipsa Roma seueræ auris iudicio superba, nec vnquam inconcesso pudore poetis adulatrix: quod lepida & salsis finibus aculeata carmina factitaret, cum ingeniose mordaci Martiali persimilis esse vellet & vna præsertim peracutæ: circumductæq; sententię gloria duceretur. Vtrũque tamen Epigrammatis genus miscuisse tum iuuit, cum paucorum versuum spectanda posteris Elogia priscis Romanæ virtutis heroibus, tanquam manentibus eorum statuis, inscripsisset.

BLOSII PALLADII.

Comensis Casanoua dum priores
Et duces canit, & canit, poetas
Pracurtis Epigrammatis, perennem
Ac longam sibi gloriam parauit.

Io. Ma. Toscani.

Dũ priscos celebri memoras cũ laude Quirites,
Laude probas dignum te Casanoua pari.

M. ANTONII CASANOVAE.

De

De Scriptore & Citharoedo.

LAelius est scriptor, Ianus citharœdus, vterque
Eiulat: hic chiragra, Lælius at podagra.
Ambo nocent manibus, scribendo hic, ille canendo.
Iste omnes lacerat: omnibus ille placet.
Vt iuuet hic omnes: ne lædat Lælius omneis:
Sit chiragra huic podagra: sit podagra huic chiragra.

De Alexandro Magno.

Testatur se vno rerum natura minorem,
Nam, quod plus posset vincere non habuit.
Paruus Alexandro fuit orbis: sed fuit orbi
Magnus lAexander ipse sibi exiguus.
Questus, qud citius, quam miles, terra deesset,
Quodque suum Oceanus clauderet imperium.
Omnia vicisset: sed non tamen omnia vicit
Ille, vbi se solum vincere non potuit.

Annibal.

Primus in Ausonios obiectas isse per alpes
Dicor, & ætherias non timuisse minas.
Ante ego quam Italiam, Romanaque signa viderem,
Cum duris scopulis, & Ioue bella gero.
Cui non obstiterint alpes, non Iuppiter hostis
Vicerit, Ausonij perdomuere duces.

DE

De M. Tullio Cicerone.

Proſcribi niſi ab hoc Cicero, & niſi percuti ab illo
Poſſet: par facinus hic iubet, ille facit.
Carnificem inuenit tam ſæuum Antonius: ipſe
Vix vlla poſſet ſæuior eſſe manu.
Illum non vellet ſe ſeruauiſſe patronus:
Illum non vellet ſe genuiſſe pater.

De Papyrio Curſore.

Dum tibi tam celeres palmæ redire, videris
Plus manibus Curſor currere, quam pedibus.

De Clœlia.

Si potuit ſacros contemnere Mutius ignes,
Et mihi, ait, ſacræ cur timeantur aquæ?
Dumque animoſa iacit rapidum ſe Clœlia in amnem,
Quem fugio, eſt hoſtis, quam peto, ait, patria.

De Bruto.

Natorum cæde orbaſti te nomine patris,
Cerneret vt verum te tua Roma patrem.
Et ſemel optaſti pulcram per vulnera mortem,
Vt nulle poſſes tenpore Brute mori.

De Annibale dum a Scipione superaretur.

Herculei socius decoris, quo rupit in ima
Altius Ausoniæ viscera nulla manus,
Per cælum Libycis reserat qui gentibus orbem,
Exuperans vni vix iuga visa deo,
Dum caderet pubes Italis spectata ruinis,
Tandem indignanti protulit ore sonum.
Quis neget armatum me maiestate perenni?
Eripere arma potest hæc mihi nulla dies.
Annibali sat nomen erit, quo terreat hostes:
Et dum me noris viuere, Roma time.

Scipio Africanus maior.

Lælium amicitia, at victos clementia, virtus
Annibalem, sed nec solum habet Annibalem:
Nam me etiam, vt vinco, virtus Carthaginem vtranque
Testem habet: at pietas patrem habet, & patriam.

Horatius Cocles.

Solus ad angusti Cocles discrimina pontis,
Cum daret ingentem grata ruina sonum,
Non grauis vnus, ait, patriæ iactura, reliqui
Non reditum ipse mihi, nec tibi Etrusce viam
Et se dum iaceret rapidas animosus in undas,

Per medias victor nauit onustus aquas.
Non vnda, hostesve obstiterunt, quin arma referret.
Arma quibus seruat se patria, & patriam.
Quid contemptorem ferri miraris, & vnda?
Maiores animas hac tibi, Roma, dabo.

Demosthenes.

Quid dat praecipuum calamus Dhemosthenis? an ne
Scripta viri eximij? siue necem egregiam?
Vtraque res digna est ista se liberat illis
Libertatem almae quaesierat patriae.
Erras, si hūc perijsse putas; neq; enim exijt vnquā,
Quod non sit dignum viuere, ab hoc calamo.

Tutia.

Omnia quae vigili semper Dea lumine cernis,
Si mereor, ne me sic patiare mori.
Tuque o Tibri faue, patriae fidissime custos
Cuius virginibus numen adesse solet.
Et cribro sancti dum ferret fluminis vndam,
Cedite, ait, famae turba profana meae.
Cedite nunc mea vita vllo ne possit ab aeuo
Extingui, aeterno lumen ab igne capit.

Menenius Agrippa.

Communi Agrippae decorant dum funera sumptu,
Ista locuturus, si potuisset, erat.

Paupertas nostræ fuerat grtissima vitæ:
Cur mihi mors pompa luxuriosa noua?
Viuus eram minimo contentus: post sua fata
Non etiam minimo mortuus vllus eget.
Paupertas. post fata vigens, ditissima res est:
Sola suas nullo tempore perdit opes.

De C. Iulio Cæsare dictatore.

Spectat Alexãdri picta vt certamina CÆSAR.
Ast ego nondum aliquid gessi: ait illacrymans
Quid? si & Alexander spectasset CÆSARIS acta,
Dixisset: Persas vincere pigritia est.

De Pompeio magno.

Nostra trophæa orbem implerunt, & Nerea tutas
Per magnum soli fecimus ire rates.
Cetera confeci. ciuilia bella relicta
Sunt tantum alterius conficienda manu.
Plus quenquam, fas non esset. sceleri datur, vllum
Fortunæ metam prateriisse meæ.

De M. Bruto & C. Cæsare.

Cæsaris, & Bruti sacratum sanguine ferrum
Officium patriæ præstitit, & domino.

Vna pium cædes oſtendit, & altera fortem:
Non alio Cæſar debuit enſe mori.

De Horatio & Fabio.

Seruaſſe hanc curſu memoratur Horatius vrbem:
At Fabius ſola reſtituiſſe mora.
Tam bene cunctari qui poſſit, non erit vllus:
Tam bene qui poſſit currere, nullus erit.

De tribus Decijs.

Tres Decij Romæ naſcuntur. numina naſci
Iure illos alio non voluere loco.
Sed, dum ſe patriæ ſic deuouere videntur
Nec melius naſci, nec potuiſſe mori.

De Attilio Cæſaris milite.

Dum videt abſciſſæ miles diſpendia dextræ,
Sufficiat bello læua ſuperſtes. ait.
Quam quoque vt iniectat virtus animoſa carinæ,
Sorte neque alterius territus ille pari eſt.
Victor adhuc hoſtem impellens ſic intonat ore:
Diſcite quos habeant Cæſaris arma viros.
Nos freta, nos ferrum nos temnere poſſumus ignes:
Vincimus abſque manu: viuimus abſque anima.

Ariſtoteles.

Vno oculo vnum hominem mirũ eſt potuiſſe videre

Quidquid cælum oculis prospicit innumeris.
Ni tot lumina habet, quot verba. at fallimur, uni
Ni verbo innumeros credimus esse oculos.
Iure ab Aristotele nil cælum distat: vterque
Dum videt æternis omnia luminibus.

Parthenius

A se seruatum Martisque forique procella,
Dum videt in se ensem stringere Parthenius:
Et dextram, & linguam illi offert, atque infit: vtramuis
Ascinde: hæc pro te pugnat, & hæc loquitur.

De Homero.

An Smyrna est, quæ te nascentem excepit Homere?
An ne fuit, vatem quæ tumulauit, Ios?
Altera nomen habet violæ, tenet altera myrrhæ,
Fata tuum his decorat ortum, obitumque locis.
Quid magis est, quod te diuine deceret Homere;
Quam nasci in myrrha, decidere in viola?

De Virgilio.

Dicite, qui ripas Minci coluistis olores,
Vobiscum exorta est gloria Virgilij?
Dic mihi Parthenope, sic sis pulcherrima semper,
Virgilius ne tuo decidit in gremio?
Et meruit, cui contigerat nasci inter olores,
Inter Seirenum decubuisse choros.

De Cane & Apro.

Gloria vterque sui generis Lygereus Iaspis,
Et Latialis aper pulcrum ineunt facinus.
Hostium vterque timor, fatum sibi debitum vterque,
Vinci vt vterque nequit, victor vterque cadit,
Nec victor, sed victus vterque cadit neque victus.
Vel victor, sed se praestat vterque parem.
Hostis vterque suo laudis plus contulit hosti.
Incipit exequijs viuere vterque suis.

LAZARI BONAMICI.

Ad Io. Matthaeum Gibertum Veronę Episcopum.

Iam nix in liquidas canis de montibus vndas
Liquitur, & rigidi Boreae furor aethere cessit:
Insinuansque almis Zephyrus se molliter aruis,
Perflat in amplexus telluris: at illa repente,
Caelestes vbi concepit foecunda calores.,
Parturit: vmbrosis crinitur frondibus arbos:
Et surgunt pictis pubentia gramina campis.
Nonne vides? varijs subrident floribus horti,
Quos circum violae & ferruginei hyacinthi
Funduntur, calycesque comis discludit odoris
Vere rosa, exultans primi sub lumina solis.
Iamque suis properant obiisse negotia curis
Omnia, & ignaua propulsant otia vitae.
Ecce thymum perquirit apis, roremque marinum,

Nunc hoc,nũc illud peragrans nemus, arteq; mira
Anfractus molli e cera diducit, & intus
Distendit liquido manantia nectare mella.
Sidula iam densa festinat in arbore nidos
Ponere auis, caros vt quondam educere natos
Possit, & ardenti repetit loca sæpe volatu
Frondosique alta nemoris Philomela sub vmbra
Dulce querens, tenui permulcet gutture siluas.
Albus olor per colla modos dat longa canoros
Propter aquam,gaudens viridantis gramine ripa.
Iam procul a stabulis ducunt armenta, gregesque
Pastores, mon'esque petunt,ac pascua nacti
Herbida,proÿciunt læti se in gramine lęto,
Argutumque caua modulãtur arundine carmen,
Responsant quibus antra eadem, vallesque supina.
Mugitusque ciet pascens ad carmina taurus.
Nauita iam siccas deducit in æquora naues,
Explicat & vernis sinuantia carbasa ventis.
Quod si plena auris nunc pandit vela secundis,
Et latum trabe nauta caua descendit in æquor:
Sibila dat pastor septem deducta cicutis:
Si raucum niueus nemorosa ad flumina cycnus
Concinit, Halcyones fundunt per littora cantus,
Attica populeos inter Philomela recessus
Obstrepit,& volucres suspendit in arbore nidos:
Ipsa etiam pastæ flores aluearia circum
Taurigenæ meditantur opus cæleste volucres:
Omnia si repetunt grato intermissa labore,
Festinantque suis percurrere munera curis;
Cur vati non turpe, decus Giberte, salusq;

Nominis

Nominis Ausonij, hoc non tempore dicere carmen?
Et tibi qualemcunque suam exercere camœnam?
Qui facis, vt cuncti possint tibi ludere versus.
Hunc igitur nostris percurrere vocibus alta
Conualles, siluæque omnes, fontesq; lacusque
Gibertum, atq; iterum Gibertum, auræq; sonabũt.

Ad Diegum Hurtadum Mendozam.

Villa suburbano dum me delectat agello,
Hinc Pataui egregiã studiis, & mœnibus, vrbem
Amplo & circuitu, & fluuiis, cæloque salubri,
Illinc cæruleo surgentes leniter arcu
Palladis, & Bacchi ambiguo certamine colles
Cernentem Euganeos, subiectaque collibus arua,
Læta Ceres alto quæ sæpe aspectat Olympo,
Inde per excelsas alpes conuersus ad Arcton,
Dum miror tarde voluentem plaustra Booten,
Et tot diuersis lucentes partibus ignes,
Cepheaq; ardentemq; canem, ardentemq; coronã,
Pleiadas, Hyadasque, auroque Oriona micantem:
Milleque præterea nascentum, mille cadentum
Stellarum motus, seu cum Sol exit Eoo
Oceano, Hesperias seu cum se condit in vndas:
Paulatimque feror sublimior, arteque docta
Quis sit, & hæc certa qui temperat omnia lege,
Contemplor: licet ante alios sit pectore Cæsar.
Et bello insignis, teneatque patentia regna,
Ipse tui tamen ingentis tum Cæsaris arma,
Regnaque contemno, cursu peritura fugaci.
Tum me felicem, tum me reor esse beatum,
Cui datur hæc misera procul ambitione tueri.

De Scriptore & Citharoedo.

Laelius est scriptor, Ianus citharœdus, vterque
Eiulat: hic chiragra, Lalius at podagra.
Ambo nocent manibus, scribendo hic, ille canendo.
Iste omnes lacerat: omnibus ille placet.
Vt iuuet hic omnes: ne lædat Lælius omneis:
Sit chiragra huic podagra: sit podagra huic chiragra.

De Alexandro Magno.

Testatur se vno rerum natura minorem,
Nam, quod plus posset vincere non habuit.
Paruus Alexandro fuit orbis: sed fuit orbi
Magnus lAexander ipse sibi exiguus.
Questus, qud citius, quam miles, terra deesset,
Quodque suum Oceanus clauderet imperium.
Omnia vicisset: sed non tamen omnia vicit
Ille, vbi se solum vincere non potuit.

Annibal.

Primus in Ausonios obiectas isse per alpes
Dicor, & æthérias non timuisse minas.
Ante ego quam Italiam, Romanaque signa viderem,
Cum duris scopulis, & Ioue bella gero.
Cui non obstiterint alpes, non Iuppiter hostis
Vicerit, Ausonij perdomuere duces.

De M. Tullio Cicerone.

Proscribi nisi ab hoc Cicero, & nisi percuti ab illo
Posset: par facinus hic iubet, ille facit.
Carnificem inuenit tam sæuum Antonius: ipse
Vix vlla posset sæuior esse manu.
Illum non vellet se seruauisse patronus:
Illum non vellet se genuisse pater.

De Papyrio Cursore.

Dum tibi tam celeres palmæ redire, videris
Plus manibus Cursor currere, quam pedibus.

De Clœlia.

Si potuit sacros contemnere Mutius ignes,
Et mihi, ait, sacræ cur timeantur aquæ?
Dumque animosa iacit rapidum se Clœlia in amnem,
Quem fugio, est hostis, quam peto, ait, patria.

De Bruto.

Natorum cæde orbasti te nomine patris,
Cerneret vt verum te tua Roma patrem.
Et semel optasti pulcram per vulnera mortem,
Vt nulle posses tenpore Brute mori.

De Annibale dum a Scipione superaretur.

Herculei socius decoris, quo rupit in ima
Altius Ausoniæ viscera nulla manus,
Per cælum Libycis reserat qui gentibus orbem,
Exuperans vni vix iuga visa deo,
Dum caderet pubes Italis spectata ruinis,
Tandem indignanti protulit ore sonum.
Quis neget armatum me maiestate perenni?
Eripere arma potest hæc mihi nulla dies.
Annibali sat nomen erit, quo terreat hostes:
Et dum me noris viuere, Roma time.

Scipio Africanus maior.

Lælium amicitia, at victos clementia, virtus
Annibalem, sed nec solum habet Annibalem:
Nam me etiam, vt vinco, virtus Carthaginem vtranque
Testem habet: at pietas patrem habet, & patriam.

Horatius Cocles.

Solus ad angusti Cocles discrimina pontis,
Cum daret ingentem grata ruina sonum,
Non grauis vnus, ait, patriæ iactura, reliqui
Non reditum ipse mihi, nec tibi Etrusce viam
Et se dum iaceret rapidas animosus in undas,

Per

Per medias victor nauit onustus aquas.
Non vndæ, hostesve obstiterunt, quin arma referret.
Arma quibus seruat se patria, & patriam.
Quid contemptorem ferri miraris, & vndæ?
Maiores animas hac tibi, Roma, dabo.

Demosthenes.

Quid dat præcipuum calamus Dhemosthenis? an ne
Scripta viri eximij? siue necem egregiam?
Vtraque res digna est ista se liberat illis
Libertatem almæ quæsierat patriæ.
Erras, si hūc periisse putas; neq; enim exijt vnquā,
Quod non sit dignum viuere, ab hoc calamo.

Tutia.

Omnia quæ vigili semper Dea lumine cernis,
Si mereor, ne me sic patiare mori.
Tuque o Tibri faue, patriæ fidissime custos
Cuius virginibus numen adesse solet.
Et cribro sancti dum ferret fluminis vndam,
Cedite, ait, famæ turba profana meæ.
Cedite nunc mea vita vllo ne possit ab æuo
Extingui, æterno lumen ab igne capit.

Menenius Agrippa.

Communi Agrippæ decorant dum funera sumpta,
Ista locuturus, si potuisset, erat.

Paupertas nostra fuerat grtissima vita:
Cur mihi mors pompa luxuriosa noua?
Viuus eram minimo contentus: post sua fata
Non etiam minimo mortuus vllus eget.
Paupertas. post fata vigens, ditissima res est:
Sola suas nullo tempore perdit opes.

De C. Iulio Cæsare dictatore.

Spectat Alexãdri picta vt certamina CÆSAR.
Ast ego nondum aliquid gessi: ait illacrymans
Quid? si & Alexander spectasset CÆSARIS acta,
Dixisset: Persas vincere pigritia est.

De Pompeio magno.

Nostra trophæa orbem implerunt, & Nerea tutas
Per magnum soli fecimus ire rates.
Cetera confeci. ciuilia bella relicta
Sunt tantum alterius conficienda manu.
Plus quenquam, fas non esset. sceleri datur, vllum
Fortunæ metam præteriisse meæ.

De M. Bruto & C. Cæsare.

Cæsaris, & Bruti sacratum sanguine ferrum
Officium patriæ præstitit, & domino.

Vna pium cædes ostendit, & altera fortem:
Non alio Cæsar debuit ense mori.

De Horatio & Fabio.

Seruasse hanc cursu memoratur Horatius vrbem:
At Fabius sola restituisse mora.
Tam bene cunctari qui possit, non erit vllus:
Tam bene qui possit currere, nullus erit.

De tribus Decijs.

Tres Decij Romæ nascuntur. numina nasci
Iure illos alio non voluere loco.
Sed, dum se patriæ sic deuouere videntur
Nec melius nasci, nec potuisse mori.

De Attilio Cæsaris milite.

Dum videt abscissæ miles dispendia dextræ,
Sufficiat bello læua superstes. ait.
Quam quoque vt iniectat virtus animosa carinæ,
Sorte neque alterius territus ille pari est.
Victor adhuc hostem impellens sic intonat ore:
Discite quos habeant Cæsaris arma viros.
Nos freta, nos ferrum nos temnere possumus ignes:
Vincimus asque manu: viuimus absque anima.

Aristoteles.

Vno oculo vnum hominem mirũ est potuisse videre

Quidquid cælum oculis prospicit innumeris.
Ni tot lumina habet, quot verba. at fallimur, vni
Ni verbo innumeros credimus esse oculos.
Iure ab Aristotele nil cælum distat: vterque
Dum videt æternis omnia luminibus.

Parthenius

A se seruatum Martisque forique procella,
Dum videt in se ensem stringere Parthenius:
Et dextram, & linguam illi offert, atque infit: vtramuis
Ascinde: hæc pro te pugnat, & hæc loquitur.

De Homero.

An Smyrna est, quæ te nascentem excepit Homere?
An ne fuit, vatem quæ tumulauit, Ios?
Altera nomen habet violæ, tenet altera myrrhæ,
Fata tuum his decorat ortum, obitumque locis.
Quid magis est, quod te diuine deceret Homere;
Quam nasci in myrrha, decidere in viola?

De Virgilio.

Dicite, qui ripas Minci coluistis olores,
Vobiscum exorta est gloria Virgilij?
Dic mihi Parthenope, sic sis pulcherrima semper,
Virgilius ne tuo decidit in gremio?
Et meruit, cui contigerat nasci inter olores,
Inter Seirenum decubuisse choros.

De Cane & Apro.

Gloria vterque sui generis Lygereus Iaspis,
Et Latialis aper pulcrum ineunt facinus.
Hostium vterque timor, fatum sibi debitum vterque,
Vinci vt vterque nequit, victor vterque cadit,
Nec victor, sed victus vterque cadit neque victus.
Vel victor, sed se prestat vterque parem.
Hostis vterque suo laudis plus contulit hosti.
Incipit exequijs viuere vterque suis.

LAZARI BONAMICI.

Ad Io. Matthæum Gibertum Veronę Episcopum.

Iam nix in liquidas canis de montibus vndas
Liquitur, & rigidi Boreæ furor æthere cessit:
Insinuansque almis Zephyrus se molliter aruis,
Perflat in amplexus telluris: at illa repente,
Cælestes vbi concepit fœcunda calores,
Parturit: vmbrosis crinitur frondibus arbos:
Et surgunt pictis pubentia gramina campis.
Nonne vides? varijs subrident floribus horti,
Quos circum violæ & ferruginei hyacinthi
Funduntur, calycesque comis discludit odoris
Vere rosa, exultans primi sub lumina solis.
Iamque suis properant obiisse negotia curis
Omnia, & ignauæ propulsant otia vitæ.
Ecce thymum perquirit apis, roremque marinum,

Nominis Ausonij, hoc non tempore dicere carmen?
Et tibi qualemcunque suam exercere camœnam?
Qui facis, vt cuncti possint tibi ludere versus.
Hunc igitur nostris percurrere vocibus altæ
Conualles, siluæque omnes, fontesq; lacusque
Gibertum, atq; iterum Gibertum, auræq; sonabũt.

Ad Diegum Hurtadum Mendozam.

Villa suburbano dum me delectat agello,
Hinc Patauі egregiã studiis, & mœnibus, vrbem
Amplo & circuitu, & fluuiis, cæloque salubri,
Illinc cæruleo surgentes leniter arcu
Palladis & Bacchi ambiguo certamine colles
Cernentem Euganeos, subiectaque collibus arua,
Læta Ceres alto quæ sæpe aspectat Olympo,
Inde per excelsas alpes conuersus ad Arcton,
Dum miror tarde voluentem plaustra Booten,
Et tot diuersis lucentes partibus ignes,
Cepheaq; ardentemq; canem, ardentemq; coronã,
Pleiadas, Hyadasque, auroque Oriona micantem.
Milleque præterea nascentum, mille cadentum
Stellarum motus, seu cum Sol exit Eoo
Oceano, Hesperias seu cum se condit in vndas:
Paulatimque feror sublimior, arteque docta
Quis sit, & hæc certa qui temperat omnia lege.
Contemplor: licet ante alios sit pectore Cæsar.
Et bello insignis, teneatque patentia regna,
Ipse tui tamen ingentis tum Cæsaris arma,
Regnaque contemno, cursu peritura fugaci.
Tum me felicem, tum me reor esse beatum,
Cui datur hæc misera procul ambitione tueri.

Non ego dispositis trans altas vehor alpes
Fessus equis, per saxa, & depressas conualles,
Fluminaque & rupes per mille pericula carpens,
Dum dicto citius cupio mandata referre,
Triste iuuentutis solamen, triste senectæ:
Atque pedum, atque alui linquo, renumq; dolores.
Non classem amissam Libycis in fluctibus, & rem,
Quæ bene non gesta est, cogor lugere, nec imo
Ingentem verso curarum in pectore molem,
Imperij vt late fines producere possim:
Qui nulli tibi sunt; animus nisi finiat æquus.
Nullius insidias timeo, nec perdita cæcum,
Oblitumque mei rapit assentatio. non spe
Deludor vana. non quenquam denique fallo.
Sed calcignani modo aprico colle sub alta
Ilice pallentes ederas, oleasque virentes,
Et vineta inter vario certamine dulces,
Excipiens cantus dextra læuaque volucrum,
Nunc ad Medoaci doctæ sub mœnibus vrbis
Flumina nunc Patauii adium in interiore recessu
Securus mecum meditor, si promere possim,
Quæ valeant prodesse olim mortalibus ægris:
Vt potiora petant, per me potiora videntes.
Quam tibi si mentem, prisca de stirpe Diege,
Cælestes dederint, hæc vt cælestia cures,
Cui tanta est fortunæ copia, tanta bonorum
Librorum, ingenij multo solertia maior:
Cuius luce ingens circum spicis omnia; quæ sunt
Quæque in re vel agenda, vel acri indagine mēti
Concipienda, in vtram libeat tibi te dare partem
Quæ de tam sacro manarent pectore in omnes

Terra-

Terrarum tractus? tua clara Hispania bello,
Consilioque potens, docta sed clarior arte,
Vno te quantum sese iactaret alumno,
Et sublime tuum ferret super æthera nomen?
Ipse autem in terris similis Dijs, ardua cæli,
Ardua terrarum celeri per inane volatu
Emensus, prima & repetens ab origine causas,
Hic ageres Diis cum ipsis immortalibus æuum.
Sed tamen & diuini animi sunt munera, quæ nũc
Exerces, vigilans in publica commoda, magni vt
Cæsaris arma queant nostris e finibus hostem
Pellere communem: pro quo te sæpe loquentem
Mirantur Veneti patres; tua dicta Senatus
Obseruat grauis ille, imoque in corde reponit.
Frumenti per te magnus conuectus in vrbem
Hadriacam numerus, famis expauescere vultum
Horribilem vetuit. Tu multos mittis ad altum
Scriptores Atho, huc veterũ monimenta virorum
Comportaturos. Tu multis pectora placas
Cæsaris, & per te suscepti a Cęsare multi,
Naturæ ignorasse vias, & sidera cæli,
Inuentasque artes fœcundi ad littora Nili,
Cum refluit, totoque caput iam condidit alueo,
Non nocuit cuiquam: nocuit transmittere fines
Iustitiæ, ignarum vitæ, rationis, & artis.
Nec minus in nobis cum fluctuat, obfuit, iræ
Vesanæ cessisse, & succubuisse furenti:
Aut si quem cepit potantem pocula Circes,
Subdula, blanda hominũ labes, atq; esca voluptas;
Denique pro patria fugisse pericula habendi
Plus æquo, & sese expleuisse cupidine tantum,

Et sua vitare, atque hominum contemnere cœtus.
Contra olim multum, ac veteres fecisse videmus,
Quorum nunc omnes fruimur virtutibus, & quæ
Nunc sunt, illorum nobis peperere labores;
Quorum vita dedit hanc nobis viuere vitam.
Hæc vrbes regere, hæc populos seruare beatos
Sola potest, dare consilium, & succurrere amicis
Hac vagus Alcides, hac attigit ignea templa
Liber, & in cælum raptus post fata Quirinus,
Innumerique alij: præclara negotia quorum
Otia iuuerunt aliorum. Lapsus ab alto
Virginis in gremiũ pater ipse hominumq; deumq;
Induit humanam faciem, moribundaque mẽbra
Tantus amor nostri, miserans incommoda nostra
Ille ipse immensi sator, & regnator Olympi
Multa tulit nostro, subeundo mille labores
Nomine, sudauitque, alsitq;, famemq;, sitimque
Sensit: & extremo crudelem tempore mortem,
Crudelem, nobis vitam tamen inde ferentem,
Perpessus, clausi portas reserauit Olympi,
Taliaque edocuit nos exercere nepotes:
Curemus cuncti vt mortalia commoda. quare
O genus egregium, qui sanguine clarus Ibero,
Virtute haud minor es cũ sis ad vtrumq; paratus:
Et sit summa quidẽ, & pulcherrima laus in vtroq;.
I, genium sequere, & naturæ cede monenti:
Ducet enim, quo pauci aspirauere priorum.
Nos simili monitu, qua cœpimus, ibimus, atque
In cælum munire viam pergemus, & astra:
Si modo Calliope præstantibus annuat ausis.

Ad

De Roma.

Vos operum antiquæ moles, collesque superbi,
Quis modo nunc Romæ nomen inane manet.
Vosque triumphales arcus, cæloque colossi
Aequati, Pariis marmora cæsa iugis
Edita Pyramidum fastigia, templa Deorum,
Digna vel ætheris amphitheatra locis.
Vos æui tandem attriuit longinqua vetustas
Vos longa tandem fata tulere die.
At Romæ Aeneadũ magnũ & memorabile nomen
Tempus edax rerum tollere non potuit,
Nec poterit, clari donec monimenta vigebunt
Ingenii, quæ non vlla senecta rapit.
Cetera labuntur tacito fugientia cursu,
Calliope æternum viuere sola potest.

M. A. FLAMINII AD
Ioannem Casam.

Disertissime Casa, quem libellum
Legendum dederas mihi, relegi
Sæpe ac sæpius: & tamen legendi
Is desiderium mihi reliquit.
Nec mirum: siquidem tuus libellus
Tam doctus, numerosus, elegansq; est
Vt scriptus videatur aureo illo
Sæculo Ciceronis, atque ab ipso
Diuino Cicerone. nec profecto
Viuet iste minus diu libellus.

Quam libri Ciceronis, Ergo Casa
Disertissime perge: seculumque
Nostrum orna aureolis tuis libellis.

IOANNIS CASAE

In Ambitionem, ad Galateum.

Vt capta rediens Helene cum coniuge Troia,
Lento homine atque animi lenis, nimiumq; remissi,
Incidit in cædem ipsam & funus forte sororis,
Quam præceps miseri virtus iugularat Orestis,
Succisam de more comam missura sepulto
Germanæ cineri, fertur dempsisse capillo
Vix tandem e summo paulum, ne forte placeret
Tonsa minus metuens Spartanis improba mœchis:
Haud aliter Galatee malis erroribus actus
Nuper ego. & Phrygios nautas, Paridemq; secutus
Aufugi longe: atque idem, rediit tamen vt mens
Ad sese peregre nimium remorata, proterua
Ornamenta fugæ sensim lenteque repono.
Parui etenim refert Veneris ne cupidine, vt illa,
Incensus, pulcra vel saucius ambitione,
Tramite declinem recto, violemque pudorem.
Debueram dudum crinem secuisse decorum:
Hoc est argentum, comites, & stragula, cœnas,
Lususque & musas missas fecisse loquaces
Intrepidus nuper curatæ mentis & acer
Corrector: sed enim prauus populi pudor obstat:
Hunc propter pauidi phaleris amicimur ineptis:
Nec sicci madidam audemus, veriti bene potum

Conuiuam vulgus, collo dempsisse coronam.
Dedecus ambitio pulcrum est, vitiumq; fauētis
Laudatum populi studio: i bone quo tua virtus
Te vocat, i pede fausto, & nomen laudibus auge,
Aequales aiunt, comitesque, pijque propinqui:
Quod si natura, aut ratio virtutis habendos
Germanas propriasque notas euincat honores,
Publice vt as signant, extemplo vt noscere, nūmus
Quanti quisque siet possint, per turbida Ponti
Curramus rapidi maria, & gelidas properemus
Ipsa hyeme in media tātum ad decus ire per alpes
Obliti podagrae neruos vrentis & artus.
Nunc prauos inter tituli discrimen inanes.
Atque bonos nullum signant. saepe & toga pectus
Candidus multo, & maius pulla arctaque texit,
Quam laxi, Tyrioque infecti murice amictus:
Nam si legitimum nobis virtutis inurant
Fasces & tituli signum, mercetur honores
Ipsa vel vita, informis ne prodeat: inque
Excusus, Priulusque bonus, simplexque Faernus,
Prudens & verae virtutis cultor vterque.
Vitrea quos nunquam titillat gloria, febris
Purgatos huius. Nos quamuis cesserit horror
Atque aestus, sani nondum tamen vsque valemus:
Sicque animus positam reminiscitur ambitionem,
Vulnus vt obductum prurit tamen, haeret asello
Vt nunc clitellis nonnunquam vlcus in armo.
Vos agite aureolum tondete a vertice crinem
Lasciuo huic capiti, atque domi cohibete seueri,
Non Menelaus vti, erronem me: tu Priulusque,
Vtroque & melior Polus, quod dicere vestra

Pace

Pace mihi liceat) nitidaque extrudite Roma
Restantem: vt duri mulam quandoque cerebri,
Luctantem in triuio, atque equiti parere negantẽ,
Sibilo aguñt primum & magnis clamoribus, inde
Prosiliunt longis armati fustibus: illa
Nixa diu, tandem plagis deterrita currit.

Satyra.

Si te cura vigil sophiæ delectat: & acre
Ingenium vires si sufficit, vtere porro
Munere tam claro diuum: sic rectius atque
Commodius multo longeque decentius aui
Quod tibi cumque neant Parcæ victurus amicæ.
Nec de te plebis quæ sit sententia magni
Securus pendas: ignarum pleraque vulgus
Prauo metitur modulo: tu neglige, & isto,
Qui nunc te exercet, fugias decedere campo.
An populi arbitrio quisquam, plebisque, bonorum
Posthabeat sanus plausum, quem iure feres tu:
Quandoquidem cunctos quicunque ferũtur eisdem
In spatiis, iam recto nimirum ac sapiente
Iudice præcurris Bembo: cum hic interea nos
Desidiæ arguimur populo, ne forte probari
Credideris genus hoc vitæ simplex: etenim ad res
Versiculis, missisque iubent accedere nugis:
Ex vmbra & tenebris in solem exire, diemque
Et gnaui ime segnem culpant. Altera blando
Pars animum integrum queritur me dedere amori
Per luxum, & patrui verbis obiurgat acerbi:
Qui simul ac stomachũ, quanquã permulta ferenti

Vt placem, morunt: regero grauiora receptis.
Tu proprium seruas auri sceleratus aceruum
Vndique congestum: neglectis, iura fidemque
Ex ponis tota venalem legibus vrbe:
Cum miserum atque inopem deiectũ rure paterno
Desensis, atque adeo prudens nummisque redemptus
Prodis: & emunctum producta lite clientem
Vsque adigis, dum ædes etiam proscribat auitas:
Turpiter aut vltro seruis, plerunque furentis
Mancipium domini: manibus ten' ferre catinum
Cœnanti ingenuis? aliam ten' sumere mentem
Deterioris heri ad nutũ atq; aliã? haud animo par
Est generi, quicunque suos apud ortus honeste
Imperio abiectus paret, trepidusque ministrat.
Quid quod amicitiæ, caro dum cuncta lucello
Metiris. cultus tu nullos, nullaque nosti
Officia: anormique decor concinnu inepto
Quid distet nescis? pecudis næ nos cute tectam
Naturam inspicimus. quid publica cũ geritur res
Per te: si furtis quo sit locus atque rapinæ.
Bellorum causas iussus pracidere, nutris:
Desidiæ aut tu me censor culpaueris oti?
Flagras ambitione, ardesque cupidine sæua
Purpurei haud vitã hanc moresve decẽtis amictus
Vror amoris ego haud me dignis ignibus: esto,
Quãdo ita me insimulas: quid tũ? peccamus vterq;
Nil est cur tu me prior incuses, grauiora
Offendens multo, & nimium distantia recto.
Nam qui vel paruo conductus peierat, & qui
Tamquam turbata victum sibi quaritat vnda
Piscator, pacem bellis vbi miscuit, idem,

Iudi-

Iudicium atque crucem si demas, ire latrones
Inter iam velit, & iugulare homines. sua quisque
Defendunt lenes vitia, & minuunt: aliena
Carpere plerique austeri, nimiumque seueri.
Adde quod incurata gerens, serpētiaque intus
Vlcera corrupto tandem pulmone peribis.
Purgandum illius cum te committere morbi
Non medico studeas: annus non unus, & alter.
Imminuat quicquam: pulcris macrescere captum
Diuinijs frustra tantum doleamus amici:
Me mea post paulo febrisque reliquerit vltro,
Frigidior veniens morbum cum lenis laxas,
Intereaque veternus non animum grauis vrget.
Me tamen insequitur populus: quid si nihil omni
Est actum in vita nobis, quod lædere quenquam
Possit? non ego rem, mihi solers quam pater auxit,
In Venerem effundam, neque lite petitus amator
Iniusta, omittam fundumque laremque tueri:
Nec fuerim, mimam quo sit mihi laxius vnde
Munerer, vsquam inopi nimium contractus amico,
Denique non mos, non ætas alienior: adde
Ille etiam laqueo statuit qui nectere collum
Aurata ne trabe, an de putri pendeat vlmo
Si quicquam referre putas, quā ego honestius ac tu
Intereo, seu me Musis & Apolline claro,
Seu quis me pulcro captum culparit amore.
Me tamen insequeris colloque ac faucibus anguis
Inflatis viro: vitam deducere inertem
Indignum clamat fucos, segnem malus vrget.
At tecum si quis sic egerit: itur d vrbem
Europa ex omni, credo, vt vestigia summo
Inspici-

Inſpiciant veteris veneranda in colle Quirini,
Siue in Auentino Romæ. *ac non perditus exul*
Expes vt quiſque eſt, huc ſe ſe contulit, vt ſi
Bargulum ad Illyricum dicas, latrociniumque
Conceſſum, nimium merito dicatur acerbus:
Oderit & rabidum populuſque patreſque venenũ.
Non ego: nec vulgi ſi irritor vocibus, hoc nunc
Immeritũ quemquã latrarim: poſſum ego multos
Eximere e numero turpis contagia morbi
Quos nulla attingerint, ſanos recteque valentes:
Sincerum vt Molſæ pectus, lauere ſalubres
Pierij quem fontis aquæ, puroque Camœnæ
Curatum cantu ſeruant: ſtudioque referti
Spectatus dudum tanto plauſuque theatri
Vbaldinus, inops agrique lariſque paterni,
Virtutis locuples, populo ſpectante Quirini
Hunc non donatum ſcæna decedere turpe eſt.

Ad Faernum, cum ab Vrbe profectus Venetias iret.

Humida Tyrrheni fugientem flamina venti
Cælumque peſtilens Lati
Me Venetum excipient mitiſſima littora, & auræ
Salubriores, putribus
Iam membris ſenio, & podagra turgentibus acri:
Quæ flare fuerunt, nec mala
I*mbutæ tuſſi, neque in ipſis fluctibus vdæ*
Faerne, mireris licet.
P*rorſus, qui Romam liquit, rerum ille carebit*
Pulcherrimo ſpectaculo.

Nec cœtũ æque illuſtrẽ hominũ, nec Palladis æque
Instructa pectora artibus,
Terrarum vt cunctas luſtret circumuagus oras,
Offendet vſquam gentium.
Fragmina nec muri aſpiciet maiora vetuſti
Non diminutis vrbibus.
Imprimis Bromij latices,& frigida ſiccis
Requiret idem faucibus
Pocula lympharum ſub terras condita opacas,
Aut foſſa Lucanam in niuem.
Ipſe ego, feruenti delapſam ex imbrice lympham
Nuper, nec altos in ſcrobes,
Et vappam, ſalices inter quæ nata paluſtres
Cani ſaporem patrij
Potanti offundet, medijs feruoribus, ardens
Arente fauce traxero.
Aſt idem hoſpitibus placidos:& dulcia pacis
Impertientes commoda
Mortales cernam,& lucupletem ciuibus vrbem
Diſpar probantibus nihil.
Cernam loricam violentam, enſemque ſuperbum
Inermibus ſuffragiis
Constrictum,& diræ execratum cædis amorem
Longe exulantem gentium.
Illic cum cano prudentia ſera capillo
Paret viciſſim,& imperat.
Illo ſi nuſquam propendens contulit æquum
Bona comes concordia.
Fraudibus Heſperia vt pulsũ eſt, timuitq; rapacis
Vncas licentia manus.

De Vbaldio Bandinellio.

Tam caro capiti iam nimium diu
Munus Melpomene lugubre, Naniam
Debemus:querulam prome puer lyram,
Siccis non ego te genis,
Mœrore aut vacuus pectora lurido
Laudabo: neque desiderium mora
Nostrum diminuunt, aut hominum atterens
Furtim tristitiam dies.
Te morum studium, te sapientia
Cura, & nobilium fecerat artium
Vbaldine quies gnaua, operosaque
Musarum otia diuitem
Non auri, pauidis addere mentibus
Mordacem validi sollicitudinem,
Non ostri, experiens quod reparat Ligur
Nobis merce superflua:
Irritet fugiens pauperiem æquora
Iracunda leui nauita palmula,
Æstatem Libyæ perferat igneam
Idem, idem Aemonias niues
Vestigans lapides, fœmina quos petit
Vel flauo capiti, vel tereti decus
Collo. Mentibus Atlantiades Deus
Calcar subdere inertibus
Ludens dum cuperet, fertur inutile
Promisse aurum: acuens illo hebetes vti
Exercet puerum non vegetum nuce
Mater sedula futili.

At fortes (quoniam robore stat suo
Virtus, Peliaca vt quercus, & æquoris
Saxum Carpathij) nec famulæ decet
Auscultare pecuniæ,
Nec firmos fragili fidere: defluit
Fortuna, vt subitis auctior imbrius
Extemplo aret aquæ riuus inops suæ,
Nimbos si pepulit deus.
Tu dulcem es Latij copiam adeptus, &
Graium diuitias, & dominam vrbium
Artem: quo mihi nunc & patriæ occidis
Multo flebilior tuæ.
Arni mœret enim fluminis accola,
Florens ingenijs accola fluminis
Arni, tot te animi compositis diu
Thesauris, tacitum mori.
Vt nauim pelago præcipitans notus
Vertit, quæ remorans, largiter alueum
Implerat spatiosum: illa Arabũ ferens
Gazas illa ebur Indicum,
Et gratum redolẽs thus superis ferens,
Et pexa e foliis vellera sericis,
Ætnææ Cereris plenaque frugibus,
Portus strenua patrios
Ditaret populos & procul oppidis
Effusos studio ad se raperet lucri
Nunc sæui arbitrio voluitur Adriæ
Cæcis obruta fluctibus.
At tu, progenies aurea fulmine
Gaudentis Iouis, o desere ne meum
Carmen, musa: diu sed vigeat sacri

Custos

Custos pagina nominis
Hic me Castalii tramitis arduos
Flexus, Aeolia hic me docuit lyra
Ictus: o nebulam obliuio & arceat
Furuam a nomine nobili
Noctem: ne volucris filia temporis
Ne rubiginis atra admoueas meis
Dentẽ carminibus: neu nigra nubibus
Condas Italia decus.

Ad fortunam.

Expers consilij, qua pede lubrico
Incedis, Zephyris mobilior Dea
Et fluctu Ionii incertior aequoris,
Te, cum laeta sinum pandis, & vberes
Fundis diuitias, ac miseris ades
Improuisa, boni progeniem Iouis
Dicunt. Tu ratio, tu sapientia:
Seruatrix eadem crederis vrbium
Virtutisque sedens in solio nites.
Sod mox torua domos regũ vbi cõcutis,
Et congesta diu munera, turribus
Deiectis, subito turbine dissipas,
Vana te comitem stultitia ferunt
Deliram. Immeritum tu, titulo bonis
Dempto, nobilitas: frena superbia
Artis tu manibus detrahis ebria:
Successu, & ruere hanc sic temere ad suum
Rides arbitrium, mox humilem truces
Vultus deposituram: O vtinam mea

Oblita ostiolum prætereas domus,
Seu tu sanguineis oppida territans
Bellis, ingrederis per Latium fera.
Seu pacemque gerens, & populos beans
Pennis inuolitas versicoloribus:
Nam sic instabilem visere te meos,
Vel latã atq; hilarem, pertimeã lares.

De Horatiano Charactere.

Sunt qui versiculo minutiore,
Verum pernitido atque perfluenti,
Tanquam Palladij liquore oliui
Cõplures properent linire chartas:
Atq; araneoli angulos domorum
Vt tela tenui solent replere
Quantumuis facile, ore fila paruo
Nentes longa, ita cõpleant libellos
Totos versiculo minutiore.
Hi vatum in numero anne sint habẽdi,
Vulgus viderit, atque siqua vulgo
Pars vatum est similis, quibus Thalia
Flacci sordeat optimi poetæ,
Quod is versiculo minutiore
Atque perfacili atque perfluenti
Totas spreuerit occupare chartas.

Deflet mortem Horatij Farnesij.

Te flebimus flos Hesperiæ puer
Madente multis carmine lacrymis

Et debitam laudi Thaliam,
Nænia lugubris occupabit.
Ille, ense pectus qui tibi candidum
Traiecit, iisdem vulneribus Lati
Cecidit & spes & virescens
Italiæ decus ense carpsit
Horati eodem. Non ego sauciam
Ictu parentem mortifero tuam
In lacrymas culpem ruentem.
Nec viduæ gemitus puellæ
Compescere ausim carmine: lugeat
Immo illa dulces funere nuptias
Miscens amaro, nec sat vnquam
Te misera illacrymata flerit.
Iam nec capillo parcere, nec genis
Aequum puella est regia, lacrymis
Efflagita Martem cruentum
Vberibus, pueri cadentis
Dulces ocellos, & tua gaudia,
Quæ conciderunt exorientia:
Vt stella, quæ vixdum coorta
Hesperium occulitur sub æquor.
Non ille auorum, nec soceri immemor:
Dulcique flagrans igne tui, neci
Vltro obuios gressus superbos
Intulit, intrepidumque pectus
Obiecit hosti, qua violentius
Bellona nigris fœda cruoribus
Est visa Martis sæuientis
Sanguineas glomerare turmas.
Nunc lætus vmbras vulnera nobiles

Ostentat inter pulcra, nemus tenens
Beatum, vbi Hectorque & Latini
Sunt veteres, Rutulique reges.
At Thespiis o grata sororibus
Obliuiosi pellere temporis
Idonea vmbram, atraq; mortis
Gloria vulneribus mederi,
O trade Musis & Polyhymnia
Custodiendum nomen Horatij
Clarum, & domum Farnesiorum
Hanc Latij Italiaq; lumen.

AD HONORATVM FASCITELlum M. A. Flaminij

Fascitelle quid otio in beato
Dictauit tibi rosidis sub antris
Musa candida? nil soles profecto
Vnquam scribere laurea corona
Non dignum, ipse miser tumultuosa
Vrbe detineor: tibi benignus
Dedit Iuppiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete.
Inter Socraticos libros, & inter
Nymphas, & Satyros, nihil profani
Curantem populi leues honores.
Verum, siue aliquid Marone dignum
Pangis. siue modis Horatianis
Iuuat ludere, quicquid est sodali
Tuo mitte. alij sibi atque Musis
Scribant: tu caue carmina occulas, quæ
Digna sunt medio legi theatro.

De

De eodem, Io. Ma. Thoscani.

Citria mala tuæ, & quot flores Parthenopes, tot
Munditiæ versus sunt Fasitelle tui.

HONORATI FASITELLI
In Paulum Iouium.

Næ debent Iouio viri elegantes,
Bonis artibus his, & his politi.
Næ debent Iouio elegantiarum
Parenti, artibus omnibus polito
Quantum vix animus capessat vllus,
Nec viui modo, qui vident, amantq́;
Vrbani senis & salem, & lepores,
Sed quos lumine adempto auarus Orcus
Quis scit quo cohibet loco misellos?
Nam facit Iouius *suis tabellis,*
Excultis lepido suo labore,
Lethi funera non timere uiuos,
Vitam viuere mortuos perennem.

Ad Nicolaum Ardinghellum Cardinalem.

Est quidem hoc aliquid fatemur omnes,
Non magnum modo in vrbe te, sed inter
Patres posse videre purpuratos.
Est quidem hoc aliquid, fatemur omnes
Ardinghelle: fatemur, & frequentes
Hinc, atque hinc tibi gratulari auemus.

Sed

Sed quod sit satis, id negamus omnes,
Quantum, quod pote plurimum negari.
At, cum maximum in orbe viderimus,
Insignem triplici aurea tiara,
Quæ virtus tua, nostraq; omnium est spes,
Tum vero id poterit satis videri.

Ad F. Cornelium.

Vnus qui reliquus mihi patronus
Corneli fueras, vetusq; amicus:
Qui excelso vsque animo esse me iubebas
Firma in spe, eximiaq; maximaq;
Vt iam istos facerem pili beatos:
Nunc diuersus abire, nunc videris
Idem non animo esse, non loquela.
Et quod me cruciat magis, magisq;
Nullam ob causam aliam, nisi ob facetam
Vnam, ridiculamq;, futilemq;
Quod farnesius ad iocum libenter
Refert omnia, qui solet iocari
Tecum, & cui fuerit bono rogare.
Atq; hic tu, mihi per iocum, atque lusum
Verbis illius (o nouos lepores)
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, salisque
Plenum, sed mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, den que ipsa
Ne tu proderis oscitatione.
Tun me? tun mihi? qui tibi, sed ad rem,
Amabo, mihi desine ista posthac

Plane frigida. Sin, vide, palam. clam
Profecto ad Iouium elegantiarum
Appellabo parentem habet paratas
Is chartas, calamosq; siue Etruscos
Malis, siue etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus:
Quibus cum historiam politiorem
Conscribillet ab orbe condito omnem,
Illustrans, celebransq; & hos, & illos:
Iure amicitiæ petemus, vt te
In hos inserat, & tuos lepores.

In Gibertum summa ingenij indole puerum.

Giberti ingenium bonas per artes
Excultum celebramus vrbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda:
Hinc laus ipsa perennior petenda.
Hoc Gibertus amat puer disertus,
Contempta iuuenum procacitate.

De Annia Villa.

Annii nemoris sacra
Citria, & liquido sacer
Fons fluens pede per nemus,
Quodque colle habet in sacro
Mollis acta sacellum

Vosque agrestia numina
Dij deaque genus Iouis
Frigidum quibus est nemus,
Fonsque iugis, & inclyta
Ara rite dicata:
Rite si nemore horrido
Fonte se posito procul
Imminens pelago capit
Vlla vos super arduo
Ara colle dicata:
Qam relinquo dolens querēs,
Quam reuiso volens lubens
Vos ego? & tenerum in sinum,
Dia ad otio, gaudeo
Me met abdere vestrum.
Siue sub nemoris nigri
Delitere comis iuuat
Et fluente breui in tuni-
ca ad vagi Zephyri leuem
Frigerarier auram,
Siue dulce loquaculi
Fontis ad gelidos specus
Sessitare, & aquam hac & hac
Somnuli illecebram manu
Vsque pellere lenta.
Tum modo spatiarier
Garrula cithara grauem:
Collis e specula modo
Mille cernere puppium
Vela pratereuntum:
Cum calore canis graui

Terra

Terra & aquore perfurit,
Feruidoque Hyperiona
Arctos icta vocat gelu
Tristibusque tenebris.
At dies breuioribus
Rapta cum spatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelida niuis,
Imbriumque potentem:
Tum foco silua integra
Aduoluta hilarat domum.
Nos pigri vtraque & vtraque
Cruraque & latera indidem
Vstulamus ad ignem.
Verna pingue mihi veru
Versat, & pereat cauet
Ne qua stilla beatior:
Ac premens fouet offulis
Vncta crusta suillis:
Promit hic sibi Cacuba,
Miscet ille Falerna, nec
Hic nec ille spuit, negans
Firma Massica lenibus
Diluenda Calenis.
Tum satur genium laris,
Tum larem genii canit:
Stridulaque strepens cicu-
ta hinc, & hinc male sobrio
Ter solum pede pulsat:
Vsque dum veniens genis
Conniuentibus, & pede

Debili sopor, vnus vt
Quisque eat cubitum monet
Oscitante labello.
Qui noui tibi flosculos
Veris explicet, explicet
Is minore negotio
Quot nocte media micant
Clara sidera cælo.
Nec meum officium mihi
Excidit, facio Ioui
Maximo, reliquisque Dijs
Semper, vt decet, & boni
Tradidere parentes:
Siue solis ad extimos
Cardines, citimosve se
Vertat annus, amabile
Siue rideat ad pares
Mollis ætheris horas.
Illa nocte dieque me
Cura feruidior coquit
Sola, cetera liberum,
Ne sacri vlla operatio
Negligatur auiti.
Hic diu mihi viuere, &
Hic tandem liceat mori,
Semper & lateam immemor
Omnium, bene nec mihi
Sæpe cognitus ipsi.
Quod meus Fabius suo
Cum Polo facit optimus
Optimo, Capimontio

Rure qui sibi candidum
Laetus exigit aeuum.
Quod Caserta facit meus,
Pontietta facit meus,
Ille moribus aureis
Clarus, hic fidibus sacris:
Infulaque decorus.
Quod Mappheus ad vuidi
Rura frigida Tiburis
Nuper ambitiosius
Velle se quoque credulis
Iactitabat amicis.
At Farnesius inclytus
Vota dissipat irrita:
Et iubet medio in foro
Scribat historias graues,
Ludicrumque poema.
Sed Farnesius, omnia
Qui potest, mihi tum meum
Posset excutere Annium,
Cum suum imperium sibi
Poscet vrbis & orbis.
Sic diu hic mihi viuere,
Hic mori liceat mihi:
Et Farnesius, vt lubet,
Possit omnia maximo
Nil auo minor olim.
Vosque agrestia numina
Dij deaeq; genus Iouis
Este vos faciles mihi,
Vos Lares, Genius, Foci

Intonate sinistrum.
Sic latum vireat nemus
Semper, & vitreus fluat
Fons perenne, recentibus
Ara fumet odoribus:
Intonate sinistrum.
Ipse non Heliconio
Collis inuideat iugo:
Ipsa non Aracynthios
Optet acta sibi modos:
Intonate sinistrum.
Nullus huc aditum ferat,
Nullus aut grege cum improbo
Pastor impius, aut mala
Ales, aut quadrupes fera:
Intonate sinistrum.
Nullus vndisoni aequoris
Fluctus auribus obstrepat.
Nulla vos violentior
Tundat aura Fauonio:
Intonate sinistrum.

IO. MVTII AVRELII MANtuani, in D. Ioannis Baptistæ laudem, Hymnus.

NAscere, quid cessas dudum? cunctisq; petitum
Votis redde diem veniens age Lucifer almũ
Dignum quo possit superum fauor omnis in vnum
Congessisse virum quodcunque est vlla potis vis,
Quoque olim non te pigeat vatum optime nasci.

Quem

Quem cælo ex alto superum Rex tempore quo se,
Venturus tandem populorum orbisque saluti,
Iam iam hominis faciẽ & mortales induere artus
Certus erat, terris quondam præmisit habendum.
Dum nos interea solemnes dicere laudes
Aggredimur, vatisque pij celebramus honores.
Ille quidem in siluis, perque auia lustra ferarum,
Propter aquam, & vario depictas gramine ripas,
Pulcer vbi, fluuio que ingens Iordanis amœno,
Collibus e curuis per pingua culta volutus,
Exercet cursu latices, simul & secat arua,
Florem æui totum primus exegit ab annis.
Diuinis animum curis & pectora plenus,
Magna Deo populoque docens instantia fata.
Non illum veneres, non illum pocula Bacchi,
Non epulæ, flexere vllæ, non purpura diues,
Verũ vndas hausitq; manu, & quas plurima vbiq;
Fundit humus, teneras decerpsit graminis herbas,
Horridus, hirsutoque humeros contectus amictu.
Illuc, vt perhibent, diuersæ atque agmine lato
Certatim coeunt gentes, atque inde reuersæ
Haud dubia ex dubiis referunt oracula rebus:
Deseritur Solyme, linquunt Hierumq; Thenaque,
Arua Palæstinæ, palmosaq; oppida Idumes.
Vndique cõueniunt, & inhospita rura frequẽtant.
Ille autem super his, ripas lucosque silentes
Insuetum multo calefactus pectora Phœbo
Personat, & vacuæ responsant omnia valles:
Nunc pater e summo claram demittit Olympo
Progeniem, ætherei monimẽtum & pignus amoris.
Iamque aderit Deus, ecce Deus, quæ tãta moratur

Segnities? quæ tanta animos dementia fallit?
Ite, agite. & superum venienti occurrite Regi:
Quamq; viā insisterit, terras regna vltima visēs
Certa dei soboles. studiis ingentibus illam
Sternite: nunc opus est animis, nunc mētibus æquis.
O multum monitique mihi, multumque monendi,
Spernite opes, inquam, ac variarū nomina vana
Delicias rerum, & contagia diuitis auri,
Versantisque orbem, & mortalia cuncta trahētis,
Otia, desidiam, sæuique Cupidinis arma.
Felix qui potuit Cereris contemnere dona.
Et latices Bacchi, morbos & bella ferentes,
Ac tolerare sitim, & ieiunia longa suetus,
Corpoream imminui molem. & mortalia sensim
Membra tulit, gaudens vinclis & carcere cæco
Exonerasse animū, ac volucrē super æthera ferri.
Huic sæpe in somnis primum sese obtulit vltro
Ipse deum genitor, vltro docuitque futura.
Mox etiam atque etiam claro se lumine passus
Contingi, eloquio ardenti, aspectuque beato
Affulsit, sanctumque inspirans ossibus ignem,
Diuina impleuit penitus dulcedine mentem.
Vsque adeo magni mentem facit æthere natam.
Ardua eo autem sponte, & præclara volentem.
Hæc & plura heros memorans populumq; patresque
Spargit rore leui, & felicibus abluit vndis
Conceptas mundi labes ab origine prima.
Continuo mores suscepit, gratàque seruat
Posteritas, sacrumque pij coluere minores.
Ecce autem ætherei Regis certissima proles
Pro mortali hominum genere & pro numine læso
Heu

Heu, fato indigno & crudelis vulnere dextræ
Proiectura animam, & fine allatura malorum:
Dudum aderat, summiq; Patris præcepta docebat
Nota sibi, atque animos supera ad cōuexa vocabat
Progeniem quoniam immeritam cunabula mundi
Post geniti, ob noxam primique errata parentis,
Damnatam omnipotens pœnas expendere iussit,
Terribilique hosti diuum concessit in iras;
Hunc simul aspexit iuuenis, & fluminis alueo
Terq; quaterq; manu liquidas superintulit vndas
Reddita vox ingens reserato e vertice Olympi.
Testatusque sacra præsens pater alite Natum,
Intonuit late, tremefecitque ætheris arces.
Ex illo haud dubitas magnorum maxime vatum,
Soluere fatidicum os, & spem vulgare per agros
Aduenisse hominum, certam requiemq; laborum,
Pollicitique Dei toties mox testis adesse,
Vnum præ cunctis populis spectantibus vltro,
Et monstrare manu & verbis signare volentem,
Visa canens, monitusque datos pridē æthere summo:
Tu matri, tu vocis adhuc & luminis expers
Prima vtero exultans fœto das signa supremi
Aduentu super Herois, magnamque parentem
Pandere res altas, summique arcana Tonantis
Decreta: & volucrem supera de gente ministrum,
In medio visumque die auditumque fateri.
Impellis tua sidereus facta optima Natus
Mox probat, & cunctis præfert mortalibus vnum
Te vatem: o longe melioribus optime factis
Nate Pater, meritoque ascripte Quiritibus olim
Cælicolis, suaue o regi gratissime Diuum,

Ac nos composito celebrantes carmine laudes
Rite tuas, pariterque preces ac tura ferentes
Nunc vides quanto moueant fera bella tumultu
Crudeles animæ? sæua illinc arma Britanni
Expediunt: solidas latis Hispania terris
Cum populis vrbes effundit, & omnia versat:
Hinc Gallorum acies, & prodiga corpora vitæ,
Cædis amor, ferrique armat scelerata cupido,
Inter vtrosque facem intentans discordia sæuit,
Impius armatos stimulat Mars, & furit ingens.
Ah, ne iterum tanto concurrant agmina motu:
Ah, ne iterum largo pinguescant sanguine campi.
Has tu iras, atque hæc imperdita corpora bellis,
Quæ dudum Ausoniæ cierant in viscera reges,
Verte hostem in Turca, superis det sanguine pœnas
Cyzicus, & populi quos diuidit Hellespontus.
Aequius huic fuerat nostra arma opponere genti:
Hunc tu animis pater accensis immitte furorem.
Ecce tibi Decimus præses simul & decus orbis,
Afflictis quem vos rebus sæcloque ruenti,
Auxilium cælo properastis mittere ab alto,
Augusto ingentes voluit sub pectore curas:
Iamque Scythas vexat bello, atque amissa reposcit
Regna animo, mox excidiumque strageq; daturas,
Actutum volido complebit milite campos:
Olli igitur vires vltro se ad bella parenti,
Quo sine nulla super miseris mortalibus est spes,
Sufficite, ipse animosque sibi, menteq; ministret.
Nunc o quique Hebri, vitreas & strymonis vndas,
Quique bibunt Xanthum, & fluctisonū Simoenta,
Quosque aliis longe positos in partibus horrens

Caucasus

Caucasus hinc, illic prospectat maximus Atlas,
Agnoscant veri tandem præcepta Tonantis,
Et fluuio discant natos mersare salubri,
Teque adeo ante omnes vnũ, tuaq; arma tremiscat
Nota nimis miseris ac cæde inspersa suorum.
Testis clara Rhodos, facti non immemor vnquam,
Cùm late impleru͂t campos, passimque per herbas
Agmina multa virum iacuerunt æquore toto,
Carpathiique maris fœdarunt sanguine fluctus.

Ad Leonem decimum Pont. Max. Elegia.

Dum tu orbe immensum paribus copescis habenis
Atque animo terras prospicis, & maria,
O decime afflictis tandem pater optime rebus,
Præsidium extremis reddite temporibus:
Totque tuo ingentes concursant pectore curæ,
Quot fluctus vasto gurgite pontus habet.
Nos tibi sic inter tantarum culmina rerum,
Actutum toto fluximus ex animo,
Sicque leues iactant promissa tot irrita Cauri,
Vt folia autumni tempore ventus agit,
Quæ simul occursant inter se, & prælia miscent,
Post tandem ad terram ex aere crebra cadunt:
Atque hæc præteriens calcat neglecta viator,
Non gregibus, non his parcere cura homini.
Interea exercet me me, nec desinit vnquam
Pauperies omnes mi facere insidias.
Cuncta minatur enim misero mala, Iupiter atra
Vt paupertatis omne genus pereat.

Quæ mihi nec suaues Musarum exprimere cantus,
Nec sinit a tanto mentem inhibere malo:
Sed duras curarum inter stipata cohortes
Vrget, & hoc semper vexat acerba caput.
Cuius dispeream, similis si pestis in orbe est,
Tristius aut quicquam Tartara nigra pauent.
Quin etiam Stygium hacce Ioue torquere nocentes
Fama tulit, nudas cum iubet esse animas:
Non gemmarũ infra, non vsus diuitis auri,
Nec quisquam nuda corpora veste regit.
Non ve dapes adhibet mensis, non dulcia vina,
At tenebras læta, squalidaque arua siti
Gens colit: hanc durũ quatiens insana flagellum
Inferna excruciat per loca pauperies.
Tartarei ex vultu pendet suspensa Tyranni
Pallida, & ad pœnas, quos cupit ille legit.
Innumeras pestes atque agmina sæua sororum
Immittit miseris perpetuamque famem.
Hãc trepidæ aspiciẽs quantũ horrẽt animæ, & quã
Optarent votis tunc quoque, posse mori.
Nusquam illic vrbes, nusquã illic tecta, maligno
Sub Ioue Regem etiam durũ habitare ferunt.
Contra autem ex auro atque ebore altiis vertice
Olympi,
Summa nitet claris atria cœlitibus.
Hic passim toto diffundit Copia cornu
Ambrosiasque dapes, nectareumque merum.
Plausibus ac cælum vario late undique cantu,
Perstrepit, & lætas numina agunt choreas.
Huc dij fulgentes magni cum vestibus aureis
Conueniunt, summo stat pater in solio

Iuppiter, & superis edicit iura vocatis,
Diuino mulcens sidera colloquio.
Dispositos sic infra olim sede e ditus alta,
Conscriptos ternis, numina vestra patres,
Cum tu Oratores, per quos tibi supplicat orbis,
Atque tuo sese subiicit imperio,
Excipis, illi autem placidum sibi numen adorant
Prostrati, & sacris oscula dant pedibus:
Dein diuina domum redeuntes iussa reportant,
Quęque alia externis regibus ac populis,
Pectoris è sancti penetralibus abdita profers,
Suspensis captant quę prius auriculis.
Quare quid mirū est, si aurū quoque iudicibus diis
Vulgus amat, largas diuitiasque probat?
Vt quę una valeant facere ac seruare beatos,
Et dura compositi lętitias animi.
Quęque etiam veluti me inuisum deseruere,
Iactatumque maris fluctibus in mediis.
Quod nequicquam dignatur opem Ramnusia virgo
Ferre, nec vlla hominum pectora consilium.
Atqui olim non me hęc miserum sperare iubebas,
Degere sed districta ora Pegasidum:
Multaque quę vestro mihi nomine rettulit olim
Hadriaci Bembus gloria magna soli,
Bembus amor Musarum, & palladis vltima cura
Castalio Bembus potus in amne pater.
Omnibus his qui te, te vnum iam pretulit, vni
Dulcia Pieridum numina posthabuit.
Quę nunc aerij sub verticibus Parnassi
Te sibi flent tantum surripuisse decus.
Da mi igitur dextram, neq; hoc ex turbine mentis

Ostentat inter pulcra, nemus tenens
Beatum, vbi Hectorque & Latini
Sunt veteres, Rutulique reges.
At Thespiis o grata sororibus
Obliuiosi pellere temporis
Idonea vmbram, atraq; mortis
Gloria vulneribus mederi,
O trade Musis & Polyhymnia
Custodiendum nomen Horatij
Clarum, & domum Farnesiorum
Hanc Latij Italiaq; lumen.

AD HONORATVM FASCITELLUM M. A. Flaminij

Fascitelle quid otio in beato
Dictauit tibi rosidis sub antris
Musa candida? nil soles profecto
Vnquam scribere laurea corona
Non dignum, ipse miser tumultuosa
Vrbe detineor: tibi benignus
Dedit Iuppiter in remoto agello
Latentem placida frui quiete.
Inter Socraticos libros, & inter
Nymphas, & Satyros, nihil profani
Curantem populi leues honores.
Verum, siue aliquid Marone dignum
Pangis. siue modis Horatianis
Iuuat ludere, quicquid est sodali
Tuo mitte. alij sibi atque Musis
Scribant: tu caue carmina occulas, qua
Digna sunt medio legi theatro.

De

De eodem, Io. Ma. Thoscani.

Citria mala tuæ, & quot flores Parthenopes, tot
Munditiæ versus sunt Fasitelle tui.

HONORATI FASITELLI
In Paulum Iouium.

Næ debent Iouio viri elegantes,
Bonis artibus his, & his politi.
Næ debent Iouio elegantiarum
Parenti, artibus omnibus polito
Quantum vix animus capessat vllus,
Nec viui modo, qui vident, amantq́;
Vrbani senis & salem, & lepores,
Sed quos lumine adempto auarus Orcus
Quis scit quo cohibet loco misellos?
Nam facit Iouius suis tabellis,
Excultis lepido suo labore,
Lethi funera non timere uiuos,
Vitam viuere mortuos perennem.

Ad Nicolaum Ardinghellum Cardinalem.

Est quidem hoc aliquid fatemur omnes,
Non magnum modo in vrbe te, sed inter
Patres posse videre purpuratos.
Est quidem hoc aliquid, fatemur omnes
Ardinghelle: fatemur, & frequentes
Hinc, atque hinc tibi gratulari auemus.

Sed

Sed quod sit satis, id negamus omnes,
Quantum, quod pote plurimum negari.
At, cum maximum in orbe viderimus,
Insignem triplici aurea tiara,
Quæ virtus tua, nostraq; omnium est spes,
Tum vero id poteris satis videri.

Ad F. Cornelium.

Vnus qui reliquus mihi patronus
Corneli fueras, vetusq; amicus:
Qui excelso vsque animo esse me iubebas
Firma in spe, eximiaq; maximaq;
Vt iam istos facerem pili beatos:
Nunc diuersus abire, nunc videris
Idem non animo esse, non loquela.
Et quod me cruciat magis, magisq;
Nullam ob causam aliam, nisi ob facetam
Vnam, ridiculamq;, futilemq;
Quod farnesius ad iocum libenter
Refert omnia, qui solet iocari
Tecum, & cui fuerit bono rogare.
Atq; hic tu, mihi per iocum, atque lusum
Verbis illius (o nouos lepores)
Quid non dicere, vel tacere pergis?
Commentum placet elegans, salisque
Plenum, sed mihi crede, vultu, ocellis,
Pallore, atque tremore, denique ipsa
Ne tu proderis oscitatione.
Tun me? tun mihi? qui tibi, sed ad rem,
Amabo, mihi desine ista posthac

Plane

Plane frigida. Sin, vide, palam. clam
Profecto ad Iouium elegantiarum
Appellabo parentem habet paratas
Is chartas, calamosq; siue Etruscos
Malis, siue etiam Latiniores:
Quales nunc Venetos tuos videmus:
Quibus cum historiam politiorem
Conscribillet ab orbe condito omnem,
Illustrans, celebransq; & hos, & illos:
Iure amicitiæ petemus, vt te
In hos inserat, & tuos lepores.

In Gibertum summa ingenij indole puerum.

Giberti ingenium bonas per artes
Excultum celebramus vrbe tota,
Dignum Socratica institutione.
Hinc est gloria vera comparanda:
Hinc laus ipsa perennior petenda.
Hoc Gibertus amat puer disertus,
Contempta iuuenum procacitate.

De Annia Villa.

Annii nemoris sacra
Citria, & liquido sacer
Fons fluens pede per nemus,
Quodque colle habet in sacro
Mollis acta sacellum

Vosque agrestia numina
Dij deæque genus Iouis
Frigidum quibus est nemus,
Fonsque iugis, & inclyta
Ara rite dicata:
Rite si nemore horrido
Fonte seposito procul
Imminens pelago capit
Vlla vos super arduo
Ara colle dicata:
Quam relinquo dolens querẽs,
Quam reuiso volens lubens
Vos ego? & tenerum in sinum,
Dia ad otio, gaudeo
Me met abdere vestrum.
Siue sub nemoris nigri
Delitere comis iuuat
Et fluente breui in tuni-
ca ad vagi Zephyri leuem
Frigerarier auram,
Siue dulce loquaculi
Fontis ad gelidos specus
Sessitare, & aquam hac & hac
Somnuli illecebram manu
Vsque pellere lenta:
Tum modo spatiarier
Garrula cithara grauem:
Collis e specula modo
Mille cernere puppium
Vela prætereuntum:
Cum calore canis graui

Terra

Terra & æquore perfurit,
Feruidoque Hyperiona
Arctos icta vocat gelu
Tristibusque tenebris.
At dies breuioribus
Rapta cum spatiis ruit,
Brumaque extulit horridum
Verticem gelidæ niuis,
Imbriumque potentem:
Tum foco silua integra
Aduoluta hilarat domum.
Nos pigri vtraque & vtraque
Cruraque & latera indidem
Vstulamus ad ignem.
Verna pingue mihi veru
Versat, & pereat cauet
Ne qua stilla beatior:
Ac premens fouet offulis
Vncta crusta suillis:
Premit hic sibi Cæcuba,
Miscet ille Falerna, nec
Hic nec ille spuit, negans
Firma Massica lenibus
Diluenda Calenis.
Tum satur genium laris,
Tum larem genii canit:
Stridulaque strepens cicu-
ta hinc, & hinc male sobrio
Ter solum pede pulsat:
Vsque dum veniens genis
Conniuentibus, & pede

Debili ſopor, vnus vt
Quiſque eat cubitum monet
Oſcitante labello.
Qui noui tibi floſculos
Veris explicet explicet
Is minore negotio
Quot nocte media micant
Clara ſidera cælo.
Nec meum officium mihi
Excidit, facio Ioui
Maximo, reliquiſque Dijs
Semper, vt decet, & boni
Tradidere parentes:
Siue ſolis ad extimos
Cardines, citimosve ſe
Vertat annus, amabile
Siue rideat ad pares
Mollis ætheris horas.
Illa nocte dieque me
Cura feruidior coquit
Sola, cetera liberum,
Ne ſacri vlla operatio
Negligatur auiti.
Hic diu mihi viuere, &
Hic tandem liceat mori,
Semper & lateam immemor
Omnium, bene nec mihi
Sæpe cognitus ipſi.
Quod meus Fabius ſuo
Cum Polo facit optimus
Optimo, Capimontio

Rure qui sibi candidum
Lætus exigit æuum.
Quod Caserta facit meus,
Pontietta facit meus,
Ille moribus aureis
Clarus, hic fidibus sacris:
Infulaque decorus.
Quod Mappheus ad vuidi
Rura frigida Tiburis
Nuper ambitiosius
Velle se quoque credulis
Iactitabat amicis.
At Farnesius inclytus
Vota dissipat irrita:
Et iubet medio in foro
Scribat historias graues,
Ludicrumque poema.
Sed Farnesius, omnia
Qui potest, mihi tum meum
Posset excutere Annium,
Cum suum imperium sibi
Poscet urbis & orbis.
Sic diu hic mihi viuere,
Hic mori liceat mihi:
Et Farnesius, vt lubet,
Possit omnia maximo
Nil auo minor olim.
Vosque agrestia numina
Dij deæq; genus Iouis
Este vos faciles mihi,
Vos Lares, Genius, Foci

Intonate sinistrum.
Sic latum vireat nemus
Semper, & vitreus fluat
Fons perenne, recentibus
Ara fumet odoribus:
Intonate sinistrum.
Ipse non Heliconio
Collis inuideat iugo:
Ipsa non Aracynthios
Optet acta sibi modos:
Intonate sinistrum.
Nullus huc aditum ferat,
Nullus aut grege cum improbo
Pastor impius, aut mala
Ales, aut quadrupes fera:
Intonate sinistrum.
Nullus vndisoni æquoris
Fluctus auribus obstrepat.
Nulla vos violentior
Tundat aura Fauonio:
Intonate sinistrum.

IO. MVTII AVRELII MANtuani, in D. Ioannis Baptistæ laudem, Hymnus.

NAscere, quid cessas dudum? cunctisq; petitum
Votis redde diem veniens age, Lucifer almu
Dignum quo possit superum fauor omnis in vnum
Congessisse virum quodcunque est vlla potis vis,
Quoque olim non te pigeat vatum optime nasci.

Quem

Quem cælo ex alto superum Rex tempore quo se,
Venturus tandem populorum orbisque saluti,
Iam iam hominis faciẽ & mortales induere artus
Certus erat, terris quondam præmisit habendum
Dum nos interea solemnes dicere laudes
Aggredimur, vatisque pij celebramus honores.
Ille quidem in siluis, perque auia lustra ferarum,
Propter aquam, & vario depictas gramine ripas,
Pulcer vbi, fluuio que ingens Iordanis amœno,
Collibus e curuis per pingua culta volutus,
Exercet cursu latices, simul & secat arua,
Florem æui totum primus exegit ab annis.
Diuinis animum curis & pectora plenus,
Magna Deo populoque docens instantia fata.
Non illum veneres, non illum pocula Bacchi,
Non epulæ, flexere vllæ, non purpura diues,
Verũ vndas hausitq; manu, & quas plurima vbiq;
Fundit humus, teneras decerpsit graminis herbas,
Horridus, hirsutoque humeros contectus amictu.
Illuc, vt perhibent, diuersæ atque agmine lato
Certatim coeunt gentes, atque inde reuersæ
Haud dubia ex dubiis referunt oracula rebus:
Deseritur Solyme, linquunt Hierumq; Thenaque,
Arua Palæstinæ, palmosaq; oppida Idumes.
Vndique cõueniunt, & inhospita rura frequẽtant.
Ille autem super his, ripas lucosque silentes
Insuetum multo calefactus pectora Phœbo
Personat, & vacuæ responsant omnia valles:
Nunc pater e summo claram demittit Olympo
Progeniem, ætherei monimẽtum & pignus amoris.
Iamque aderit Deus, ecce Deus: quis tãta moratur

Segnities? quæ tanta animos dementia fallit?
Ite, agite, & superum venienti occurrite Regi:
Quamq; viã insliterit, terras regna vltima visẽs
Certa dei soboles, studiis ingentibus illam
Sternite: nunc opus est animis, nunc mẽtibus æquis.
O multum monitique mihi, multumque monendi,
Spernite opes, inquam, ac variarũ nomina vana
Delicias rerum, & contagia diuitis auri,
Versantisque orbem, & mortalia cuncta trahẽtis:
Otia, desidiam, sæuique Cupidinis arma.
Felix qui potuit Cereris contemnere dona,
Et latices Bacchi, morbos & bella ferentes,
Ac tolerare sitim, & ieiunia longa suetus,
Corpoream imminui molem, & mortalia sensim
Membra tulit, gaudens vinclis & carcere cæco
Exonerasse animũ, ac volucrẽ super æthera ferre.
Huic sæpe in somnis primum sese obtulit vltro
Ipse deum genitor, vltro docuitque futura,
Mox etiam atque etiam claro se lumine passus
Contingi, eloquio ardenti, aspectuque beato
Affulsit, sanctumque inspirans ossibus ignem,
Diuina impleuit penitus dulcedine mentem.
Vsque adeo magni mentem facit æthere natam,
Ardua eo autem sponte, & præclara volentem.
Hæc & plura heros memorans populũq; patresque
Spargit rore leui, & felicibus abluit vndis
Conceptas mundi labes ab origine prima.
Continuo mores suscepit, gratuque seruat
Posteritas, sacrumque pij coluere minores.
Ecce autem ætherei Regis certissima proles
Pro mortali hominum genere & pro numine læso:

 Heu

Heu, fato indigno & crudelis vulnere dextræ
Proiectura animum, & fine allatura malorum:
Dudum aderat, summiq; Patris præcepta docebat
Nota sibi, atque animos supera ad cõuexa vocabat
Progeniem quoniam immeritam cunabula mundi
Post geniti, ob noxam primique errata parentis,
Damnatam omnipotens pœnas expendere iussit,
Terribilique hosti diuum concessit in iras;
Hunc simul aspexit iuuenis, & fluminis alueo
Terq; quaterq; manu liquidas superintulit vndas
Reddita vox ingens reserato e vertice Olympi.
Testatusque sacra præsens pater alite Natum,
Intonuit late, tremefecitque ætheris arces.
Ex illo haud dubitas magnorum maxime vatum,
Soluere fatidicum os, & spem vulgare per agros
Aduenisse hominum, certam requiemq; laborum,
Pollicitique Dei testes mox testis adesse,
Vnum præ cunctis populis spectantibus vltro,
Et monstrare manu & verbis signare volentem,
Visa canens, monitusque datos pridẽ æthere sũmo:
Tu matri, tu vocis adhuc & luminis expers
Prima vtero exultans fœto das signa supremi
Aduentu super Herois, magnamque parentem
Pandere res altas, summique arcana Tonantis
Decreta, & volucrem supera de gente ministrum,
In medio visumque die auditumque fateri:
Impellis tua sidereus facta optima Natus
Mox probat, & cunctis præfert mortalibus vnum
Te vatem: o longe melioribus optime factis
Nate Pater, meritoque ascripte Quiritibus olim
Cælicolis, suaue o regi gratissime Diuum,

Ac nos composito celebrantes carmine laudes
Rite tuas, pariterque preces ac tura ferentes
Nunc vides quanto moueant fera bella tumultu
Crudeles animæ? sæua illinc arma Britanni
Expediunt: solidas latis Hispania terris
Cum populis vrbes effundit, & omnia versat:
Hinc Gallorum acies, & prodiga corpora vitæ,
Cædis amor, ferrique armat scelerata cupido,
Inter vtrosque facem intentans discordia sæuit,
Impius armatos stimulat Mars, & furit ingens.
Ah, ne iterum tanto concurrant agmina motu:
Ah, ne iterum largo pinguiescant sanguine campi.
Has tu iras, atque hæc imperdita corpora bellis,
Quæ dudum Ausoniæ cierant in viscera reges,
Verte hostem in Turcas, superis det sanguine pœnas
Cyzicus, & populi quos diuidit Hellespontus.
Aequius hunc fuerat nostra arma opponere genti:
Hunc tu animis pater accensis immitte furorem.
Ecce tibi Decimus præses simul & decus orbis,
Afflictis quem vos rebus sæcloque ruenti,
Auxilium cælo properastis mittere ab alto,
Augusto ingentes voluit sub pectore curas:
Iamque Scythas vexat bello, atque amissa reposcit
Regna animo, mox excidiumque stragemq; daturus,
Actutum valido complebit milite campos:
Olli igitur vires vltro se ad bella parenti,
Quo sine nulla super miseris mortalibus est spes,
Sufficite, ipse animosque sibi, menteq; ministret.
Nunc o quique Hebri, vitreas & strymonis undas,
Quique bibunt Xanthum, & fluctisonũ Simoenta,
Quosque alius longe positos in partibus horrens

Caucasus

Caucasus hinc, illic prospectat maximus Atlas,
Agnoscant veri tandem præcepta Tonantis,
Et fluuio discant natos mersare salubri,
Teque adeo ante omnes vnũ, tuaq; arma tremiscat
Nota nimis miseris ac cæde inspersa suorum.
Testis clara Rhodos, facti non immemor vnquam,
Cum late implerũt campos, passimque per herbas
Agmina multa virum iacuerunt æquore toto,
Carpathiique maris fœdarunt sanguine fluctus.

Ad Leonem decimum Pont.
Max. Elegia.

Dum tu orbẽ immensum paribus cõpescis habenis
Atque animo terras prospicis, & maria,
O decime afflictis tandem pater optime rebus,
Præsidium extremis reddite temporibus:
Totque tuo ingentes concursant pectore curæ,
Quot fluctus vasto gurgite pontus habet.
Nos tibi sic inter tantarum culmina rerum,
Actutum toto fluximus ex animo,
Sicque leues iactant promissa tot irrita Cauri,
Vt folia autumni tempore ventus agit,
Quæ simul occursant inter se, & prælia miscent,
Post tandem ad terram ex aere crebra cadunt:
Atque hæc præteriens calcat neglecta viator,
Non gregibus, non his parcere cura homini.
Interea exercet me me, nec desinit vnquam
Pauperies omnes mi facere insidias.
Cuncta minatur enim misero mala, Iupiter atra
Vt paupertatis omne genus pereat.

Quæ mihi nec suaues Musarum exprimere cantus,
Nec sinit a tanto mentem inhibere malo:
Sed duras curarum inter stipata cohortes
Vrget, & hoc semper vexat acerba caput.
Cuius disperëam, similis si pestis in orbe est,
Tristius aut quicquam Tartara nigra patient.
Quin etiam Stygium hacce Ioue torquere nocentes
Fama tulit, nudas cum iubet esse animas.
Non gemmarū infra, non vsus diuitis auri,
Nec quisquam nuda corpora veste regit.
Non ve dapes adhibet mensis, non dulcia vina,
Ast tenebras lata, squalidaque arua situ
Gens colit: hanc durū quatiens insana flagellum
Inferna excruciat per loca pauperies.
Tartarei ex vultu pendet suspensa Tyranni
Pallida, & ad pœnas, quos cupit ille legit.
Innumeras pestes atque agmina sæua sororum
Immittit miseris perpetuamque famem.
Hac trepidā aspiciēs quantū horrēt animas, & quā
Optarent votis tunc quoque, posse mori.
Nusquam illic vrbes, nusquā illic tecta, maligno
Sub Ioue Regem etiam durū habitare ferunt.
Contra autem ex auro atque ebore alti in vertice
Olympi,
Summa nitet claris atria cœlitibus.
Hic passim toto diffundit Copia cornu
Ambrosiasque dapes, nectareumque merum.
Plausibus hic cœlum vario late vndique cantu,
Perstrepit, & lætas numina agunt choreas.
Huc dij fulgentes magni cum vestibus aureis
Conueniunt, summo stat pater in solio

Iuppiter,

Iuppiter, & superis edicit iura vocatis,
Diuino mulcens sidera colloquio.
Dispositos sic infra olim sede editus alta,
Conscriptos ternis numina vestra patres.
Cum tu Oratores, per quos tibi supplicat orbis,
Atque tuo sese subiicit imperio,
Excipis, illi autem placidum sibi numen adorant
Prostrati, & sacris oscula dant pedibus:
Dein diuina domum redeuntes iussa reportant,
Quæq; alia externis regibus ac populis,
Pectoris è sancti penetralibus abdita profers,
Suspensis captant quæ prius auriculis.
Quare quid mirũ est, si aurũ quoque iudicibus diis
Vulgus amat, largas diuitiasque probat?
Vt quæ una valeant facere ac seruare beatos,
Et dare compositi lætitias animi:
Quorum etiam veluti me inuisum deseruere,
Iactatumque maris fluctibus in mediis,
Quos neque iam dignatur opem Ramnusia virgo
Ferre, nec vlla hominum pectora consilium.
Atqui olim non me hæc miserum sperare iubebas,
Degere sed distincta otia Pegasidum:
Multaque quæ vestro mihi nomine rettulit olim
Hadriaci Bembus gloria magna soli,
Bembus amor Musarum, & palladis vltima cura
Castalio Bembus potus in amne pater,
Omnibus his qui te, te vnum iam pretulit, vni
Dulcia Pieridum numina posthabuit,
Quæ nunc aerij sub verticibus Parnassi
Te sibi flent tantum surripuisse decus.
Da mi igitur dextram, neq; hoc ex turbine mentis

Totque animosis eripe vorticibus:
Hoc tibi restat opus, hoc est tibi perficiendum:
In te vno est vna atque vnica nostra salus:
Quod si non æqua hæc mea carmina respicis aure,
Verbaque das rapidis irrita ferre notis,
Me neque tantillum, quantum est seruare debebit
Iam poterit, non si mox velit ipsa salus:
Quin totis penitus fortunæ absorptus in vndis,
Protinus ingentos ore bibam latices.

IANI ETRVSCI.

Cur Poetæ hac ætate in pretio non sint.

Quod contempta iacet per tempora nostra Poesis,
Resque sit in pretio carmine nulla minus,
Ediderint plures cum sæcula nulla poetas,
Quam quos calchographi cura subinde parit:
Conqueritur vatum celeberrima turba, reuerti
Vatibus Augusti sæcla benigna vouens.
Vt tamen hæc redeant, Mœcenas, Cæsar & ipse,
Munificos nostris vatibus esse putem?
Mæuius, atque comes Bauij cum plurimus Anser
Obtineant Flacci Virgilijque locum?

THOMAE PORCATII.

In Christum crucifixum.

Pro seruis dominus moritur, pro sontibus insons,
Pro ægroto medicus, pro grege pastor obit,

Pro

Pro populo rex mactatur, pro milite ductor,
Proq; operis ipse opifex, proq; homine ipse Deus.
Quid seruus, sons, agrotus, quid grex, populusque
Quid miles, qd opus, quidue homo soluet? amet.

HIERONYMI VLRII
Nouocomensis.

In Statuam Satyri & pueri.

Blanditur puero Satyrus vultuque manuque:
Nolenti similis contrahit ora puer.
Quem non commorint quãuis de marmore? fundit
Pene preces Satyrus, pene puer lacrymas.

In Statuam Vertumni.

Vertitur in lapidẽ, hoc si credis viuere numen:
Si lapidem esse putas, numina viua vides.
Vnde hoc? Vertũnus latitat sub marmore, suetus
Lumina mutatis fallere imaginibus.

HIERONYMI SALINAE
CAECI.

Ad Poetas.

Chaoniam canitis nata Iouis arbore glandem,
Legiferæ segetes munera grata Deæ:
Vos vlmos, & apes complentes nectare cellas,
Et tardos canitis lata per arua boues:

Vos

Vos & equum canitis, qui frena sonantia mandit,
Atq; arua, & multo gramine pingue pecus.
Sed mihi quid prodest audire hæc? si mihi desunt
Glans, seges, vlmus, apes, bos, equus, arua, pecus.

IANI VITALIS.

De Roma.

Qui Romã in media quæris nouus aduena Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media,
Aspice murorum moles, præruptaque saxa,
Obrutaque horrenti vasta theatra situ.
Hæc sunt Roma: viden velut ipsa cadauera tantæ
Vrbis adhuc spirent imperiosa minas?
Vicit vt hæc mundum, nisa est se vincere: vicit,
A se non victum ne quid in orbe foret.
Nũc victa in Roma victrix Roma illa sepulta est?
Atque eadem victrix, victaque Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis index,
Qui quoque nunc rapidis fertur in æquor aquis.
Disce hinc quid possit fortuna: immota labascunt,
Et quæ perpetuo sunt agitata manent.

MICHAELIS SILVII.

Ad Titianum pictorem.

A te vno pingi voluit Titiane Diegus,
Pictores vnum quem probat ante alios.
Qui sibi tam similem facis hunc, vt dimidiatum

Se credat: magnum hoc: efficis arte tamen.
Ac contra suaues mores, & pectus, & illud
Tam cultum ingenuis artibus ingenium
Formari a se vno voluit Titiane Diegus:
Quanto est hoc quam illud rectius & melius?
Qui pingenda tibi quæ sunt moritura reliquit,
Formanda assumit non moritura sibi.

TARQVINII FRANGIPANIS.

Descriptio aduentantis senectutis.

Iam niuis alba comas tegit,
Et rugas facies contrahit aspera,
Iam verba ore pigro hæsitant,
Crystalli auxilio luminaq; indigent,
Iam aures tardius hauriunt
Emissæ sonitum vocis, & in dies
Sensus quilibet interit,
Annorum iam humeri pondere maximo
Curuantur: pedibus ferunt
Infirmis baculo subsidium manus
Vires corporis aridi
Sensim deficiunt, & vigor igneus
Sic absumitur, vt breui
Extinguatur spatio: languida sicuti
Lampas, cum viridis liquor
Defecit, tremula luce caret statim.
Sed quid? Nunc pereat licet
Paulatim gelidis flamma sub artibus
Vitalis: tamen vndique

Me sanctis adeo concremat ignibus
Diuorum pater optimus,
Vt iam nō homo sim, feruor at æstuans
Ignis, flammaque torrida,
Alterq; Ætna. Precor, te precor omniū
Rerum ingens opifex, dies
Seu terras nitido lumine, seu nigro
Nox velamine conteget,
Quæ vitæ superest da igne tuo ardeā,
In quo purificer nitens
Auro lucidior, sæpius in leui
Quod flamma bonus artifex
Excudens facili nobile opus manu
Atris sordibus exuit:
Vt, cum mors rapidas intulerit manus,
Flammis e medijs velut
Phœnix exoriens protinus explicem
Alas, & patrium cito
Vectus remigio peruolem ad æthera.

ANDREAE FVMANI
VERONENSIS.

Idem argumentum cum superiori.

Iam cana rugis asperat
Frontem senecta, corporis
Iam membra facta languida.
Sensim recedens indies
Vitalis ignis deficit.
Sed hoc quid ad me, feruida

Patris

Patris supremi caritas
Me continenter si suis
Fouere pergit ignibus?
Ergo o beata viuida
Cælestis ignis flammula
Magis magis me tu in dies
Fouere perge singulos.
Perge o beata, perge dum
Mihi vsque perge amburere
Mihi vsque perge absumere
Cor, ossa, neruos, viscera,
Venas, medullas, sanguinem,
Ipsamque mentem, ac spiritum
Vt totus ardeam tibi:
Vt atra cum mors frigidas
Afferre mihi volet manus
Sic flamma totus flammeis
Alis amoris lucidi
Hinc expeditus ætheri
Altas ad oras subuolem:
Cognata vbi inter sidera
Non iam amplius memor mei
Vnum te amem, ac tua omnia.
Imo ardeam perenniter
Factus tui ter maximi
Scintilla parua incendij.

IOSEPHI PARLISTANEI

Idem argumentum, quod superioris.

Iam nec dulce mihi Venus
Arridet gemini blanda Cupidinis

Mater

Mater, nec tepidi leues
Aspirant animæ dulce Fauonij.
Nec vernos aperit sinus
Depicta omnigenis terra coloribus.
Venas, viscera, sanguinem,
Et rugis faciem contrahit aspera
Aetas, nigraque tempora
Spargit Threicia tristis hyems niue.
Ac vis ignea languido
Paulatim fugiens corpore deficit,
Vt flos aridus: vnica
Quod si tergemini gratia numinis
Præsens adsit, & ætheris
Quod si prænitedt lux mihi candida,
Flatus non ego Thracios,
Nec tristem metuam nubibus Africum.
Nec me dura necessitas
Quicquam diminuet rebus in asperis.
Inter mille pericula:
Sed viuam Arsacida principe firmior
Et cum fila legent mihi
Parcæ, quæ nequeunt parcere, nexibus
Huius corporis exiens
Viam tunc hominum sorte beatior.

Idem.

Ruga iam vultus arat, & seueram
Contrahit frontem: capitisque nigri
Albicant crines: tremulo & recedit
Corpore virtus.

Nec

Nec tamen cordi insita vis malorum
Ponderi cedit; neque turbulentis
Fluctuat rebus, neque mens secundis
Aestuat vndis.
Namque seu dulci recreat sopore
Astra nox terras, oriens olympum
Siue sol clausum reserat fugatis
Orbe tenebris:
Me fouet dextra Deus, occupatos
Et mihi neruos, mihi membra, & omnes
Corporis sensus glacie resoluit
Nocte, dieque.
Alme sol ergo, noua lux, & ingens
lamma concordi comitata amore
Perge languentes placido medullas
Igne fouere.
Perge ne magnum tui amoris aestum
Vlla vis vnquam minuat, sed vsque
Crescat & neruos graciles & ossa
Torreat vsque.
Vltima vt vitae fugientis hora
Ocyor densis mea mens soluta
Corporis vinclis geminas ad astra
Explicet alas.

INCERTI AVTORIS.

Simile superibus argumentum.

Iam multis pellet facies mea languida rugis,
Et riget incomptus hispida barba comis.

Cali

Caligant oculi, manat pituita molesta
Naribus, ægro vox gutture rauca tremit.
Egelidus iam sanguis hebet minuente senecta,
Vitalis corpus deseruitque vigor.
Nil tamen hæc obsunt puræ contraria menti
Quam sancto omnipotens excitat igne Deus.
Nã quamquã frigent vires, moribundaq; mẽbra:
Et tollit sensus curua senecta meos:
Viuida flamma tamen diuini me ardet amoris,
Ardet, & absumptis pectora visceribus.
Vt cum supremo me lumine vita relinquet
Terrenosque artus spiritus, & cineres:
Purgatus maculis, & sæcli sordibus huius,
Depositisque atri carceris exuuiis,
Elysias adeat sedes, & regna beata
Lætus vbi æterno seruiat vsque patri.

IO. MTTHAEI TOSCANI POEMATA.

IO. AVRATI POETAE REGII.

Tu quoque, qui reliquos tanta pietate poetas I
Nunc colis, vt cineres vnus & ossa legas.
Si grata est superis vatum pia cura priorum,
Ipse colens alios ipse colendus erit.

DESCRIPTIO SENILIS AETATIS.

Idem argumentum tractarunt quatuor alij poetę, Frangipanis, Fumanus, Parlistaneus, & incertus auctor,

Mortis propinqua nuntia
Pulsat senecta iam fores,
Canaque verticem niue
Conspergit: & frontis cutem
Crispat, profundos imprimens
Sulcos, & aridas genas
Pallore vestit buxeo:
Vsumque minuens aurium
Vocis meatus obstruit:
Iugique luminum elicit
A fonte lippitudinem:
Vnamque palpebram alteri
Iungit tenaci glutine:
Mucoque nares rancidas
Damnat perenni, & polypo
Affligit vsque: dentium
Ex ore vallum decutit
Balbo; saliuam profluam
Deriuat in balbam cauo
Graueolentis animæ de specu.
Iam confecto munere
Effœta nostri corporis
Pars nulla fungitur satis.
Cæcutiunt enim vitro

Nunc destituta lumina.
Vox rauca: nec gustus dapes
Selectiores appetit.
Omnesque concutit tremor
Artus: grauedo longius
Nec tussis abscedit comes
Molesta anhelitus frequens
Ab intimo haustus pectore
Iam iam recessurum monet
Aegre retentum spiritum.
Quid ergo? an idcirco, trahit
Originem qui cælitus,
Diuinus ille, ille igneus
Vigor recessit, intimus
Quem mi medullis inserit
Cælestis aura spiritus?
Non illa non vis pectoris
Languente languet corpore.
At semimortua erigit
Hæc mẽbra mẽs hæc viuida,
En optimusque & maximus
Rector rotundæ machinæ
Dextram labanti porrigit,
Et occidentes corporis
In mente vires suscitat:
Suique amoris feruidos
In corde aculeos inserit.
Clamore muto pectori
Meo insusurrans ad suum
Numen vocat, trahit, rapit.
Adsum pater o, adsum tuo

Sacro æstuans cupidine,
Mortalium rerum omniū, &
Ipsius immemor mei,
Solius at memor tui.
Tu dux, pater, rex, & Deus
Pronum, volentem, concito
Cursu aduolantem suscipe.
Iam corpus hoc sibi graue,
Primæq; matri debitum,
Quam cernuū in dies magis
Curuo intuetur vertice
Suis refert primordijs.
At hunc vigentem spiritum
Diuinitatis ad tuæ
Typum creatum, & dextera
Fictum tua, necessitas
Quem nulla mortis opprimet
Lustra benigno lumine:
Huic exeunti, terrea
Huic exeunti vincula
Alas volucres applica,
Vt præpetis aquilæ modo
Suprema tranans nubila
Humo relicta sedibus
Tuis, pater, se immisceat,
Tui fruatur perpete
Vt numinis præsentia.

Epinicion Christiani orbis Turcarum
[illegible] ad Lepantum profligata.

clan[illegible] [illegible]*ta sacro cui pectora Christo,*
Quisquis adest, imm[illegible]

 Cor-

Vos & equum canitis, qui frena sonantia mandit,
Atq; arua, & multo gramine pingue pecus.
Sed mihi quid prodest audire hæc? si mihi desunt
Glans, seges, vlmus, apes, bos, equus, arua, pecus.

IANI VITALIS

De Roma.

Qui Romã in media quæris nouus aduena Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media;
Aspice murorum moles, præruptaque saxa,
Obrutaque horrenti vasta theatra situ:
Hæc sunt Roma: viden velut ipsa cadauera tanta
Vrbis adhuc spirent imperiosa minas?
Vicit vt hæc mundum, nisa est se vincere: vicit,
A se non victum ne quid in orbe foret.
Nũc victa in Roma victrix Roma illa sepulta est?
Atque eadem victrix, victaque Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis index,
Qui quoque nunc rapidis fertur in æquor aquis.
Disce hinc quid possit fortuna: immota labascunt,
Et quæ perpetuo sunt agitata manent.

MICHAELIS SILVII.

Ad Titianum pictorem.

A te vno pingi voluit Titiane Diegus,
Pictores vnum quem probat ante alios.
Qui sibi tam similem facis hunc, vt dimidiatum

Se credat magnum hoc: efficis arte tamen.
Ac contra suaues mores, & pectus, & illud
Tam cultum ingenuis artibus ingenium
Formari à se vno voluit Titiane Diegus:
Quanto est hoc quam illud rectius & melius?
Qui pingenda tibi quæ sunt moritura reliquit,
Formanda assumit non moritura sibi.

TARQVINII FRANGIPANIS.

Descriptio aduentantis senectutis.

Iam niue alba comas tegit,
Et rugas facies contrahit aspera,
Iam verba ore pigro hæsitant,
Crystalli auxilio luminaq; indigent,
Iam aures tardius hauriunt
Emissæ sonitum vocis, & in dies
Sensus quilibet interit,
Annorum iam humeri pondere maximo
Curuantur: pedibus ferunt
Infirmis baculo subsidium manus
Vires corporis aridi
Sesim deficiunt, & vigor igneus
Sic absumitur, vt breui
Extinguatur spatio: languida sicuti
Lampas, cum viridis liquor
Defecit, tremula luce caret statim.
Sed quid? Nunc pereant licet
Paulatim gelidis flamina sub artibus
Vitalis: tamen vndique

Me sanctis adeo concremat ignibus
Diuorum pat er optimus,
Vt iam nõ homo sim, feruor at æstuans
Ignis, flammaque torrida,
Alterq; Ætna. Precor, te precor omniũ
Rerum ingens opifex, dies
Seu terras nitido lumine, seu nigro
Nox velamine conteget,
Quæ vitæ superest da igne tuo ardeã,
In quo purificer nitens
Auro lucidior, sæpius in leui
Quod flamma bonus artifex
Excudens facili nobile opus manu
Atris sordibus exuit:
Vt, cum mors rapidas intulerit manus,
Flammis e medijs velut
Phœnix exoriens protinus explicem
Alas, & patrium cito
Vectus remigio peruolem ad æthera.

ANDREAE FVMANI
VERONENSIS.

Idem argumentum cum superiori.

Iam cana rugis asperat
Frontem senecta, corporis
Iam membra facta languida.
Sensim recedens indies
Vitalis ignis deficit.
Sed hoc quid ad me, feruida

Patris

Patris supremi caritas
Me continenter si suis
Fouere pergit ignibus?
Ergo o beata viuida
Cælestis ignis flammula
Magis magis me tu in dies
Fouere perge singulos.
Perge o beata, perge dum
Mihi vsque perge amburere
Mihi vsque perge absumere
Cor, ossa, neruos, viscera,
Venas, medullas, sanguinem,
Ipsamque mentem, ac spiritum
Vt totus ardeam tibi:
Vt atra cum mors frigidas
Afferre mihi volet manus
Sic flamma totus flammeis
Alis amoris lucidi
Hinc expeditus ætheri
Altas ad oras subuolem;
Cognata vbi inter sidera
Non iam amplius memor mei
Vnum te amem, ac tua omnia.
Imo ardeam perenniter
Factus tui ter maximi
Scintilla parua incendij.

IOSEPHI PARLISTANEI

Idem argumentum, quod superioris.

Iam nec dulce mihi Venus
Arridet gemini blanda Cupidinis

Mater, nec tepidi leues
 Aspirant animæ dulce Fauonij.
Nec vernos aperit sinus
 Depicta omnigenis terra coloribus.
Venas, viscera, sanguinem,
 Et rugis faciem contrahit aspera
Aetas, nigraque tempora
 Spargit Threicia tristis hyems niue.
Ac vis ignea languido
 Paulatim fugiens corpore deficit,
Vt flos aridus: vnica
 Quod si tergemini gratia numinis
Præsens adsit, & ætheris
 Quod si praniteat lux mihi candida,
Flatus non ego Thracios,
 Nec tristem metuam nubibus Africum.
Nec me dura necessitas
 Quicquam diminuet rebus in asperis.
Inter mille pericula:
 Sed viuam Arsacida principe firmior
Et cum fila legent mihi
 Parcæ, quæ nequeunt parcere, nexibus
Huius corporis exiens
 Viam tunc hominum sorte beatior.

Idem.

Ruga iam vultus arat, & seueram
 Contrahit frontem: capitisque nigri
Albicant crines: tremulo & recedit
 Corpore virtus.

Nec

Nec tamen cordi insita vis malorum
Ponderi cedit; neque turbulentis
Fluctuat rebus, neque mens secundis
Aestuat vndis.
Namque seu dulci recreat sopore
Astra nox terras, oriens olympum
Siue sol clausum reserat fugatis
Orbe tenebris:
Me fouet dextra Deus, occupatos
Et mihi neruos, mihi membra, & omnes
Corporis sensus glacie resoluit
Nocte, dieque.
Alme sol ergo, noua lux, & ingens
lamma concordi comitata amore
Perge languentes placido medullas
Igne fouere.
Perge ne magnum tui amoris aestum
Vlla vis vnquam minuat, sed vsque
Crescat & neruos graciles & ossa
Torreat vsque.
Vltima vt vita fugientis hora
Ocyor densis mea mens soluta
Corporis vinclis geminas ad astra
Explicet alas.

INCERTI AVTORIS.

Simile superibus argumentum.

Iam multis pellet facies mea languida rugis,
Et riget incomptis hispida barba comis.

Caligant oculi, manat pituita molesta
Naribus, ægro vox gutture rauca tremit.
Egelidus iam sanguis hebet minuente senecta,
Vitalis corpus deseruitque vigor:
Nil tamen hæc obsunt puræ contraria menti
Quam sancto omnipotens excitat igne Deus.
Nã quamquã frigent vires, moribundaq; mẽbra:
Et tollit sensus curua senecta meos:
Viuida flamma tamen diuini me ardet amoris,
Ardet, & absumptis pectora visceribus.
Vt cum supremo me lumine vita relinquet
Terrenosque artus spiritus, & cineres:
Purgatus maculis, & sacli sordibus huius,
Depositisque atri carceris exuuiis,
Elysias adeat sedes, & regna beata
Lætus vbi æterno seruiat vsque patri.

IO. MTTHAEI TOSCANI POEMATA.

IO. AVRATI POETAE REGII.

Tu quoque, qui reliquos tanta pietate poetas
Nunc colis, vt cineres manus & ossa legas.
Si grata est superis vatum pia cura priorum,
Ipse colens alios ipse colendus erit.

DE

DESCRIPTIO SENILIS AETATIS.

Idem argumentum tractarunt quatuor alij poetę, Frangipanis, Fumanus, Parlisfaneus, & incertus auctor,

Mortis propinqua nuntia
Pulsat senecta iam fores,
Canaque verticem niue
Conspergit: & fronti: cutem
Crispat, profundos imprimes
Sulcos, & aridas genas
Pallore vestit buxeo:
Vsumque minuens aurium
Vocis meatus obstruit:
Iugique luminum elicit
A fonte lippitudinem:
Vnamque palpebram alteri
Iungit tenaci glutine:
Mucoque nares rancidas
Damnat perenni, & polypo
Affligit vsque: dentium
Ex ore vallum decutit
Balbo; saliuam profluam
Deriuat in balbam cauo
Graueolentis anima de specu
Iam consueto munere
Effœta nostri corporis
Pars nulla fungitur satis.
Cacutiunt enim vitro

Sacro æstuans cupidine,
Mortalium rerum omnium, &
Ipsius immemor mei,
Solius at memor tui.
Tu dux, pater, rex, & Deus
Pronum, volentem, concito
Cursu aduolantem suscipe.
Iam corpus hoc sibi graue,
Primæq; matri debitum,
Quam cernuũ in dies magis
Curuo intuetur vertice
Suis refert primordijs.
At hunc vigentem spiritum
Diuinitatis a l iuæ
Typum creatum, & dextera
Fictum tua, necessitas
Quem nulla mortis opprimet
Lustra benigno lumine:
Huic exeunti, terrea
Huic exeunti vincula
Alas volucres applica,
Vt præpetis aquilæ modo
Suprema tranans nubila
Humo relicta sedibus
Tuis, pater, se immisceat,
Tui fruatur perpete
Vt numinis præsentia.

Epinicion Christiani orbis Turcarum clas[illegible] ad Lepantum profligata.

Quisquis adest, imm[illegible]ta sacro cui pectora Christo,

 Cor-

Cordaque non ficta religione calent,
Quamque tener lymphis tinctus lustralibus infans
Induit, intrepidus pro pietate mori,
Nunc effusa pio testetur gaudia plausu,
Nunc lætæ ter io voce triumphe canat.
Nulla dies Christum veneranti lætior orbi
Solis ab Eoo substulit amne rotas.
Nunc demum intrepido vitales ducimus auras,
Pectore: nunc demum libera turba sumus.
Cantet in pæan merito lætissimus orbis
Hesperia perijt classis Eoa manu.
Hactenus inuicti celebratus nomine Turca
Posse malo discis vincier ipse tuo.
Præualidoque caput mutilatus perfide cornu
Sentis victrices in tua damna manus.
Ergo miser tanto frontem spoliatus honore
Attolles truncum qua ratione caput?
Nos igitur spolijs populus cumulatus opimis
Pergamus summo soluere vota patri.
Ante tamen castas purgent ieiunia mentes:
Labeque sint omni pectora nostra procul.
Quin agedum Diuum sacris aduoluimur aris,
Votiuisque micant tura Sabea focis.
Cælicolum imprimis grates persoluere regi
Cura sit, & tali fundere voce preces.
Omnipotens genitor, summi cui sidera Olympi,
Humanumque genus, regiaque ima subest:
Cui chorus æthereus seruit, mentesque beatæ
Qui populos placida iustus ab arte regis.
Tu gentis delicta tuæ miseratus, iniquo
Nostra iugo prohibes subdita colla premi.

Tu tu

Tu tumidam Scythici rabiemque minasque tyrãni
Comprimis, atq; auidã sanguinis usque sitim.
Egerat extremas vires qui orientis & Indor,
Gentis in exitium corda parata tuæ:
Cum coniurata nostras rescindere classes
Cærula texerunt æquora mille rates.
Immensum ferus ille animis inuaserat orbem,
Cui fuerat tellus nulla futura satis:
Cuius inexausti fuerant pars ultima voti
Cypria crudeli regna subacta iugo.
Iam Vaticani dementes corde ruinas,
Romanaque ragum fluxerat imperio
Ebrius, & dulci fortuna quidlibet audax
Sperare & latis casibus usque ferox.
Vrbe triumphata captiuum ducere Tibrim,
In sua purpureos addere vincla patres,
Cuique pater geminas rerum promittis habenas
Pontificem solio deposuisse parans.
At tu sancte parens sortem miseratus acerbam
Atque aduersa tuo fata propinqua gregi,
Prospiciensque tuis tantam impendere ruinam,
Nullis ut humana sistere posset ope,
Vesanum inuicta minuis virtute furorem,
Assertorque tui strenuus orbis ades.
Nam te auctore pij coeunt in fœdera reges,
Pectoraque vnanimi iungis amica fide,
Communem ut poscant sociatis viribus hostem,
Qui viguit nostra seditione diu.
Illinc emicuit nostra spes prima salutis,
Sola hac vincendi certa reperta via est.
Non humana modo conspirant agmina pennis

Vecta sed æthereâ labitur arce cohors.
Hæc cruce signatis animos viresque manipli
Addidit: incussit se tibi luna metum.
Luna Paretonij signis quæ impressa Tyranni
Non duraturi roboris omen eras.
Namque Deo, ducibusque Dei, ventisque secundis
Gens pia lunigerum subruit agmen aquis.
Plebs igitur deuota tibi, Rex, debita soluit
Munera, quæ meriti est pars quotacunque tui.
Tu cape quos pietas artis tibi sacrat honores,
Et studiosa tui suscipe corda libens.
Nos nomen laudesque tuas celebrabimus & cum
Aduehit Eoo Phœbus ab orbe diem:
Et medij postquam spatium est emensus Olympi,
Cum pars acta, manet pars obeunda viæ.
Nominis alma tui venies præconia vesper
Audiet, & medio lucida signa polo.
Tu modo sancte parens felicibus annue cœptis,
Orsaque diuino lumine nostra rege.
Nunc age læta Dei sacris operata iuuentus
Sumamus genio lætitiaq; dies.
Nunc viuet Assyrio medicari rore capillos,
Ferreque odoratæ florea serta comæ.
Læta corymbiferâ frontem redimita coronâ
Tota cohors docili ter pede pulset humum.
Optima nunc tellus, nunc formosissimus annus,
Pressa fluunt pleno pinguia musta lacu.
Dicite io pæan, & io ter dicite pæan
Occidit Aegeis barbara classis aquis,
Solenni lux ista sacro celebranda quotannis
Nomen ab æterna posteritate ferat,

Cesset

Cesset opus: tauri repetant præsepia fessi:
Nec valido cultor pondere lædat humum.
Bellator positis veniat mansuetior armis.
Funereæ postquam continuere tubæ.
Turba ministerio cesset feriata remisso:
Et sileant rauco iurgia longa foro.
Ignibus innumeris densas arcete tenebras;
Vt niteat multa lampade clara dies.
Signaque lætitiæ populis arsura beatis
Expedit innumeras tollere ad astra pyras.
Iam tormenta graui resonent displosa fragore:
Turribus ex altis æra repulsa sonent.
Vos pueri, innuptæq; choros agitate puellæ:
Impediant nitidas florea serta comas.
Plansibus & late vacuus circumsonet aer:
Concordi feriat sidera voce sonus.
Dicite io pæan, & io ter dicite pæan:
Occiduum subijt classis Eoa iugum.
Candida Relligio præclaris aucta triumphis
Erigit inuicta parta trophæa manu.
Namque ea barbaricas violenta cuspide puppes
Perculit, & Scythicas ardua fregit opes.
Vndique conspicuis volitat Victoria pennis,
Exultansque suo nomine cuncta replet.
Fama per immensum laudes disseminat orbem,
Nostrorumque canit fortia facta ducum.
Sed cui non tacitum pertentant gaudia pectus;
Ad fuit vt tanti nuntia fama boni?
Excutit ex humeris glaciem pater Apenninus,
Hirsutumque nouo vestit honore caput.
Formosæ Dryadesque, cauis & Oreades antris.

Ancipites ducunt molliter arte choros.
Explicat Eridanus placidas mansuetior vndas,
Cui premit humentes mollis arando comas,
Turbaque natarum virides ornata capillos
Lasciuum iactant per vada lenta genu.
Lætitia gestit Rhodanus: lætusque Garumna
Hesperium tumidas in mare voluit aquas.
Ipse magis solito fulua splendescit arena,
Conspicuoque fluit diues honore Tagus.
Quin etiam Actiaci stupuerunt littora ponti,
Vdisona & tanti conscia saxa boni.
Ipse pater pugnam sensit Neptunus ab antro
Aerea dum moles machina terret aquas.
Et migrasse suas tonitru miratus in horas.
Vuidæ ceruleis extulit ora vadis.
Corpora vt aspexit vastas fluitare per vndas
Mille que disiectas per sua regna rates,
Sparsa natant summis dum fluctibus armamẽta,
Dum Scythicus pontum purpurat omne cruor:
Actiaci (dixit) cedant Auguste triumphi,
Cumque suo mollis fœmina pulsa proco.
Hellespontiacam cedat qui ratibus oram
Iunxerat, exiguæ præda futura manus.
Prisca suas taceat laudes plebs Romula, quamuis
Bis Pœno Siculas sanguine tinxit aquas.
Omnia facta patrum sileat verbosa vetustas,
En premitur titulis gloria prisca nouis.
Te quoque magne pater pudeat ne cedere nato
Carole, cui domino cessit vterque polus:
Gestane non pigeat nati maiora fateri
In regnis quotquot gesseris ipse meis.

Pars

Pars licet illa tibi fuerit non vltima honorum,
Venit ab immenso quæ tibi parta mari.
Tuque age maiorum iouenis memoranda tuorum
Vincere sic titulis nomina perge tuis.
Macte noua virtute ducum generosa propago,
Præsidium Austriacæ dulce decusque domus.
Surgit ab Hesperio celebris tua fama cubili,
Et superat rubri littora curua maris:
Te victor colit Hesperius: tibi decolor Indus
Præparat imperiis colla domanda nouis.
Vindice te famulas sperat captiua catenas
Hellas, & infandum deposuisse iugum.
Sic fatus, valido mox æquora vasta tridente
Impulit: & raucis tempora mersit aquis.
Tum simul Austriacum Nereia turba Ioannem
Ingeminat: Triton personat Austriacum.
Austriacum sinuosa sono collisa resultant
Littora, & Austriacum saxa repulsa fremunt.

HYMNVS IN CHRISTI Natalem diem.

ANnua nascentis redeunt solennia Christi,
Dum sacra virgineo pondera ventre fluunt.
Cesset opus sacrisque vacent expleta labori
Corpora: nam festa luce vacare decet.
Iam pecudes, fessique petant stabula alta iuuenci:
Nec valido cultor dente fatiget humum.
Mitescant positis miles mansuetior armis:
Nec rauca moueant aspera bella tubæ.

Sacra coronatis celebrentur mystica templis,
Vranturque pijs thura Sabæa focis.
Hæc est alma dies nascentis conscia Christi
Sanguine tersuri crimina nostra suo.
Singula dum refero linguis, animisque fauete,
Cur pius ætherea venerit arce Deus.
Qua Titan rutilo conscendit in æthera curru
Ridet inexhausto vocis honore locus.
Plurimus hic vitreis trepidat pellucidus vndis,
Blandaque nectareus murmura riuus habet.
Hic querulis vacuas mulcet concentibus auras
Inter odoratum turba canora nemus.
Per liquidum placidis volitat leuis aera pennis,
Et florum æternas excitat aura comas:
Educat illa rosas, immortalosque amaranthos:
Et vario nitidum pingit honore solum.
Lactea perpetuis labuntur flumina riuis,
Flauaque de viridi cortice mella fluunt.
Sponte sua tellus maturis canet aristis:
Atque arbos nullo poma iubente gerit.
Nec tales olim felicia Gargara messes,
Nec sala Trinacrij culta tulere soli.
Hac inter primi vernantia rura parentes
Ducebant lætos tempus in omne dies.
Aec tristes suberant morbi, nec lenta senectus
Cogebat tremulo membra mouere gradu:
Ipse quoque, æthercam mundi qui temperat arcem.
Immunes dederat viuere posse necis.
Tabificus tanto serpens inuidit honori:
Et tacita fluxit callidus arte dolos.

Illius

Illius impulsu vetitum male credula pomum
Obtulit ignaro fœmina prima viro.
Tum pater imponens pœnas pro crimine, iura
Vindicat imperij facta minora sui:
Tunc fortunatis fontes exegit ab oris,
Et dedit irato talia dicta sono:
Quæ tibi, nostra nisi violasses iussa, perennis
Adfuerat placido vita tenore fluens,
Nunc breuis, & multo venit ærumnosa labore,
Ægraque per leti mille trahenda metus.
Quasque benigna prius tibi terra ferebat inemptas
Nunc dapibus pretium non leue sudor erit.
At, quæ prima meas temerasti perfida leges,
Hæc te commissi pœna luenda manet:
Ne prius ex vtero conceptus prodeat infans
Quam decies curuum luna retexat iter.
Mox paritura graues gemitu testere dolores:
Vt iucunda minus sit tibi vita nece.
Dixerat hæc Genitor iusta correptus ab ira:
Et iussit triplices scribere dicta deas. (nectus.
Hinc labor, hinc lacrymæ subeunt, hinc curua se-
Ægraque consumens corpora dira lues.
Semotique prius fati vis effera terris
Incubuit, lentum corripuitque gradum,
Tantum letiferæ poterant contagia culpæ,
Vt lueret patrum crimina posteritas.
Primaque postremos tangebat culpa nepotes,
Proh quam læsa semel numina magna nocent!
At Deus hanc hominum sortem miseratus acerbam,
Nosque ratus dura conditione premi,
Collectasque videns vectari in Tartara prædas,

Quos

Quos prius artifici finxerat ipse manu
Consortem statuit natum demittere Olympo,
Certa salus terris quo veniente foret.
Mox simulans agili corpus iuuenile figura
Ales ab etheria labitur arce poli.
Atque vbi virginei successit limine tecti
Nuntiat eterni maxima iussa patris.
Hanc subit a summis demissus spiritus astris:
Concipit & salua virginitate Deum.
Icorrupta pio complentur viscera fœtu:
Fœcundi verbum seminis instar habet.
Clara per obstantes sic se phœbaa fenestras
Fundunt illeso lumina sæpe vitro.
Contractam virgo sic crimine virginis iram
Expiat, humanum restituitque genus.
Cynthia iamque nouem curru compleuerat orbes,
Ac prope nocturnos dena mouebat equos:
Iamque dies aderat partus celeberrima sacri:
Castaque diuinum membra grauabat onus.
Quem mare, quem tellus, quem non capit ardnus
Autorem virgo protulit ipsa suum. (æther
Nec solitos sensit partu resoluta dolores:
Sed facile ethereum sponteque fluxit onus.
Purpura non artus texit, non serica vestis,
Sed nudam nudo corpore pressit humum:
Hæc gremio excepit gaudens cælestia membra,
Atque nouo fouit gramine molle latus,
Ipsa etiam clari præsepia conscia partus
Credibile est tantis læta fuisse bonis.
Quin & asellus iners, & pandi vector aratri
Ante Deum curuo procubuere genu.

Læta

Læta hæc prima dies fulsit mortalibus ægris:
Certior hac mundo cœpit adesse salus.
Hac igitur meritos templis cumulemus honores:
Nascentemque tuum concelebrare Deum.
Christe dicata tuo natali sacra frequenta,
Atque pius facili concipe mente preces.
Dexter ades: populique tui pius annue votis,
Cordaque cælesti lumine nostra reple.

AD PA. TOSCANVM CLAravallensem Antistitem, in sequentem Hymnum Præfatio.

DVM nocturna vago voluuntur sidera cursu,
Noxque polũ fuscis vecta pererrat equis
Cæteraque inuisas oblita animalia curas
Languida iucundo membra sopore rigat,
Facundi digitis quondam tractata Catulli
Ipse sacros doceo plectra subire modos.
Alma salutiferæ modulatus gaudia noctis,
Cui nitido par est lumine nulla dies.
Hoc tibi vix calida subductum incude Camœnæ
Nostra dicat, magni muneris instar, opus
Forsitan & possim non parua dedisse videri:
Suntne aliæ, vates quas tibi donet, opes?

HYMNVS II. IN CHRISTI Seruatoris Natalem diem.

HVC, huc pergite virgines
Pudicæ, pueri integri, &
Florentem variis comam
Impedite corollis

Hunc natalitium diem
Voce psallite tinnula:
Et puerperium sacræ
Virginis celebrate:
Hæc nam sola puellulis
E mortalibus, integro
Flore virgineo, sacri
Mater nominis audit.
Clarum cernitis vt micat
Lumen? aduenit, aduenit
Celso spiritus æthere
Penna præpete lapsus.
Quo me sancte rapis tui
Plenum mente noua? iuuat
Intus ire per abdita
Puri mystica partus.
O nox splendidior die,
Sole luna beatior
Circumfusa micantibus
Stellis ora renidens?
Primæ vos tenebræ Deum,
Vt orbis mala nubila
Fulgore excuteret suo,
Sensistis venientem.
Vt olim, Boreas vbi
Aruis horrifer ingruit
Concretas quatens comas
Atris faucibus efflans
Niues, squalida partubus
Tellus orba gemit: iubar
Sol primit nitidum caput

Septus

Septus nubibus atris:
Omnis tristior it dies:
Torpent flumina: turbidus
Flet aer: breuis euolat
Lux fulgore maligno.
Sic &, primus vbi parens
Vxoris male credulæ
Cessit consiliis, statim
Feruens ira Tonantis,
Acrisque in miserum furor
Mortale incubuit genus:
Et lex aurea substitit
Paternæ bonitatis:
Tum prædam Cacodæmones
Furias conuehere in domos;
Nulli parcere ferreo
Mors bacchata flagello.
Sic mæror, lacrymæ, dolor,
Malorumque cohors diu
Vitæ gaudia gentibus
Inuidere beatæ.
Nunc contra veluti leuis
Aura temperie solum
Perflat cũ Zephyrus putres
Glebas ore resoluens,
Lætis undiq; partubus
Aucta vernat humus; coma
Sol cinctum rutila caput
Pulsis nubibus effert;
Omnis lætior it dies:
Rident flumina: limpidas

Aer enitet: aureo
Lux splendore coruscat.
Sedes haud aliter sacri
Postquam deseruit poli, &
Puros virginea Deus
Artus sumpsit ab aluo:
Vetustique hominis nefas
Expunxit nouus hic homo:
Et labem putris integra
Carnis carne piauit:
Mox immensa benignitas
Supremi enituit Patris:
Effusis amor inclytus
Mox prorupit habenis.
Tunc mors mortua cōcidit:
Prauum destituit vigor
Hostem: seruitij iugum
Liber exuit orbis.
Tū Pax, lætaque Faustitas
Culpari & metuēs Fides,
Certatim populis cohors
Venit grata bonorum.
Hæc mortalibus attulit
Christus gaudia, deserens
Ventris claustra. Quis huic Deo
Compararier ausit?
Vili stramine pauperis
Præsepi iacet, alta qui
Nutu sidera temperat,
Gades frenat, & Indos.
Diuorum sacer alitum

Nasces

Nascenti Domino chorus
Plaudit: incita vocibus
Tellus icta resulat.
Accurrunt hilari pede
Custodes ouium: Deum
Infantem stipula rudis
Proni voce salutant.
Exemplo monitos iuuet
Noctem dicere, clarior
Qua nulla Oceano dies
Lumen extulit almum.
Puella, ac pueri integri,
Ite, concinite in modum:
Ad voces populi tui
Ades Christe secundus:
Vt lubentius audiens
Se citarier ad suum
Sollenne, huc aditum ferat,
Placatusque, fauensque:
Rursum carmine supplici
Puella, ac pueri integri
Alternate: secundus huc
Christe lumina flecte.
Flecte lumina: supplicum
Votis annue qui tuum
Natalem celebrant tui
Affla numinis aura.
Quẽ mundus mage cælitũ
Colat? cui sua nuncupet
Vota? cui ve Arabum strue
Aras stipet odorum?

Faustas o vtinam tuis
Prestes dux bone ferias:
Addictasque tibi bona
Sospites ope gentes:
Vt, quæ nunc timidæ tui
Numinis fragilem colunt
Vitam, perpetis has tuæ
Vitæ munere dones.

De tormentis Domini Iesu

Crux Domini pendens librauit in aere corpus:
Concisa indignis est facies alapis:
Tres claui fixere pedes, fixere lacertos:
Imbuit os sacrum spongia felle madens:
Texta corona caput spinis penetrauit acutis:
Vibicibus texit leuia membra flagrum:
Sunt Christi tormenta salus & vita piorum
Crux, alapæ, claui, spongia, flagra, rubi.

Ad Vespasianum Marinum.

Velox armentum tigris in asperum
Non sic orba suis pignoribus ruit,
Feruens quam pietas præcipiti gradu, &
Iræ mistus agit dolor.
Nec Mauri peditis dextera tam cito
Trans finem calamos expedit impetu,
Quam nobis profugo vita suam breuis
Ad metam pede labitur.
Implacabilium stamina sed licet

Parcarum renuant, cui Charites fauent
Vates trans positum ducere limitem
Vitam perpetuo valet.
Quod nec diuitiæ, quas Arabum legit
Fortunata soli gens grauidi sinu.
Gemmarumue potest vorticibus rubri
Ponti quicquid inæstuat.
Ignotis nec auis quæ regionibus,
Qua currus propior sol rutilos agit,
Auri pondera gens vectat Iberica
Duris nata laboribus.
Non vulgi indocilis sollicitus fauor
Certans immeritis tollere honoribus
Indignos, rabido dente notans, velut
Præscribunt furiæ, bonos.
Non præstare potest gloria bellica
Virtutis: validi viuat Achillei
Quamuis fama loquax vertice sidera
Sublimi feriens adhuc.
Quamuis nec taceant sæcula filium
Audacem Veneris, non tamen hoc manus
Fecerunt auidæ sanguinis: at dedit
Felix Pegasidum fauor,
Dura Pegasides cuspide vindicant
Fati præcipitis, munere destinant
Cantus quem celebris cunque superstite:
Seu claros memoret duces,
Seu laudanda gerens commoda venerit
Musis materies. o ter, & amplius
Felix cui resonam tendere contigit
Vatis barbiton inclyti.

Ergo grata tuis insere Pallados
Interdum studiis ocia virginum
Illis, Vespasiane, aqua negotiis
Quæ te sollicitum tenent.
Quem nunc intima prorsus penetralia,
Naturæque sinus implicitos iuuat
Rimari, penitusque insatiabilem
Nullus iam labor occupat.
Atqui sæua Deum fulmina dextera
Haud semper genitor discutit ignea:
Sed quam Latoides *pectine temperat*
Mulcetur cithara modis.
Mauors, quinetiam puluere Thracio
Informes acies deserit, ac feras
Hastarum segetes, atque animum modis
Oblectat lyricis trucem.
Perstant assiduis nulla laboribus,
Non ipsis superis, pectora: sed viget
In tempus studium, quod spatiis breues
Alternis variant vices.
Sic olim soboles regia Pelei,
Postquam dextra ferox sanguine Troico
Vbertim incaluit, pollice mox fides
Pertentans agili, refert
Heroum celebri carmine fortium
Exhausta ancipiti bella periculo:
Ipsum quæ docuit Thessalici ferus
Vates incola Pelij.

AD

AD GILBERTVM Genebrardum Theologum, & linguæ ſanctæ Regium profeſſorem.

Gens priſca vatum, Cinthius annuit
Quibus Diones iugera libero
Greſſu pererrare, haud caducos
Dum capiti legerent honores
Seu forte digno pectine fortium
Pectus virorum non timidum mori
Cantabat, aut partos honores
Ancipitis mala per duelli:
Seu paruæ iungens carmina tibiæ
Pugnata dixit prælia noctibus,
Formæ decentis dum caducum
Laude decus celebrat perenni:
Quidquid canebat, Gratia dummodo
Cultis faueret carminibus, deum
Aequare ſortem ſe, beatis
Carius hoc Arabumque gazis
Habebat vnum: pauperiem malam
Ac dura vitæ incommoda negligens,
Si fonte nunc artus ſalubri
Nunc gelido recrearet antro.
Hac ipſe vana captus imagine
Emcientis nec ſolidi boni
Per Theſpias olim ſalebras,
Ardua vel iuga per Palati
Muſas ſequebar, dum tenet Appula

Ast o beatum cælitus insitam
Quisquis superne partem animæ eriges
Dum intuetur, æque sacris
Noscitat hunc, Genebrarde, chartis,
Quascunque Moses ore prius Dei
Promptis notauit legibus, & lyra
Dauidica, atque oraculorum,
Enthea quæ cecinere corda
Vatum piorum, peruigil eruit
Sensa e tenebris mystica: nec satis
Aut Græca ducens aut Latina
Quod terat assiduo labore,
Ipsa Hebreorum sacra volumina
Versare quærit, fontibus hauriens,
Haud e lacunis: quo recenti
Ipse opifex homini dedisset
Sermone linguã soluere nil prius
Voce eloquutam: particulam luti
Cum spiritus sui supremus
Ipse parens animauit aura.
His omne, deinceps addere quod Deus
Decreuit æuum, me studiis iuuit
Dicere, virtuti tuæ dum
Me similem, Genebrade, fingo.

Ad Gul. Louatium Theologum

Summi parentis præcipuum decus
Mortale cælo concilians genus,
Quos me remotos in recessus
Relligio rapis insolentem?

Iam nostra iusto plus tulit impotens
Virtutis ætas nescia lucidæ,
Damnosa florentis iuuentæ,
Cum titulos Venus occuparet.
Ergo veternum sensibus expedit
Contaminatis excutere improbum:
Vigor per auras expedita ut
Mentis eat petiturus arces
Cæli beatas. æstuat, æstuat
Sacra edoceri spiritus orgia:
Iamiamque cælestis vagatur
Mens trepidat Sophiæ per hortos.
Illic perennes educat aureo
Fons imbre, dulci in gramine, flosculos,
Quos nec malignum adurit astrum
Vis madidi neque difflat Austri:
Gratus tepenti sed Zephyrus fouet
Auras nitentes flamine temperans:
Nam veris æternum virentis
Conspicuo locus ille honore
Viget beatus: quo domitrix fero
Mucrone carpens omnia luridis
Mors quaque prosternens sagittis,
Frustra aditum petulans retẽtat.
O quis recessus dux mihi ad abditos
Monstret benigno munere semitam:
Mortalibusque non frequenti
Limina trita solo recludat?
Iam te, potentis cui facilis Dei
Patere iussit cuncta benignitas,
Virtusque, Louati, parata

Ingenij studio vigentis,
Cunctis statutum est artibus insequi
Nullis parato parcere viribus,
Si tempus exsomni labore
Forte queam reparare lapsum.
Quod fessa si vestigia vertice
Firmare sacro, si dabitur sitim
Sedare cælesti liquore,
Atque auidas recreare fauces,
Iam tum popelli despiciam rudis
Qui corda inanes sollicitant metus:
Nec fata ducentes sorores
Stamina vt accelerent timebo.

Ad Gerardum Vaxim.

Duplicis Vaxi fidicem Thaliæ,
Ore seu Graiam ad citaram rotundo
Personans, priscis canis inuidendum
Carmen Achiuis,
Seu laboratis epigramma chartis
Inserens sparsum Latiali aceto,
Dulce ridenti similis timendum
Stringis acumen,
Seu per audacis numeros Thaliæ
Verba deuoluens operosa neruis
Pangis, & manes Calabri poetæ
Deripis Orco
Non vides quanto moueas periclo
Plectra? cũ Mauors ferus, & flagello
Ferreo Bellona ruat per agros,

Mitte iam telum trifidum: nefandam
Prorue turbam.
Cernis en, quantis tua gens procellis
Mergimur tamiam, nisi tu secundus
Arceas gentis miseræ imminentem
Vertice cladem.

Ad Io. Poterium, Terrasſium,

Diuum parenti Dardanius puer
Cæleste nectar marmorea manu
Miſcere præfectus, caducæ
Damma parum metuens ſenectæ,
Frænat citatos fluminibus vagis
Pigro meatus frigore vincens:
Et cogit humores fluentes
Durius Oebaliis metallis.
Iungit ſonoris ille Aquilonibus
Fœdus, furenti flamine perſonans
Terras, procelloſumque pontum,
Sæua parans ratibus pericla.
Immittit in fœtas penetrabile
Sidus malignum planities gelu,
Et collium gratos honores,
Atque comas nemorum perurit.
Mortalibus quin exitiabile
Deſæuit aſtrum corporibus: gelu
Nunc membra tentat: nunc oberrans
Horror habet glacialis oſſa.
Veternus omnes occupat: & ſilet
Ardor remiſſus nunc operum: ſat eſt

Si luculentus nunc niuosi
Vim Coræ prohibet caminus.
Vaxis tamen nos imperiosior
Iubet resumpta sepofita thely
Aptare virtutes Poteri
Ad citharæ numeros iocosæ,
Sed plectra voci consona dum sua
Mouere neruis dispositis paro,
En vsque discordes repugant
Apta fides sociare verba:
Contraxit ipsas scilicet asperi
Vis sæua chordas frigoris, & gelu
Peruasit in dextram: micantque
Segnius articuli rigentes.
Non inuocatus Pieridum fauor
Præsto est roganti: nec Clarius deus
Respondet: hunc Musasque amœna
Rura tenent tepidique colles.
Ergo, Poteri, carmine nobili
Dicemus olim stemma tuæ domus
Illustre, gentilesque missos
Innumeris ab auis honores,
Necnon vetustum splendidius tuo
Fulgore vt ornes ipse nouo genus:
Virtus vt annos, indolesque
Spem cupidi superet parentis.
Ast illa prorsus materies graui
Sonanda plectro, quam faciles tibi
Primo Camœnæ sint ab æuo
Artibus egregiis polito.

Ad Gerard. Vaxim, ſuadens Dauidicos Pſalmos illi carmine exprimendos.

Commune Phœbi pignus, & aureas
Nectunt decenti quæ viola comas
Teſtudo Muſarum, beati
Sæpe manu tremefacta Vaxis:
Sepone, quæ nunc pectora vellicant,
Quæ delicatis ignibus vſtulant
Nymphæ camœnas, feriata
Idaliis numeris quieſce.
Iuſta datum plus parte Cupidini eſt:
Flammas Gerardi poſteritas leget:
Viuentque commiſſi calores
Vaxiados fidibus puellæ.
Nam plectra tantum doctaque cultaq;
Semper moueri eſt turpe hmili ſono:
Ingens, laborioſa chartis
Materies venit inſerenda.
Dauid decoram fatidicus tibi
Prætendit amplo carmine lauream,
Artemque, neruosque, impetumque,
Haud minor Aonio poeta,
Virtute maior, qua duplici duo
Vatis meretur nomine nomina,
Et fata recludens futura,
Pieridumque agitatus œſtro.
Huc ergo, vera dextera quo vocat
Te laudis aura, huc perge volens, Deo

Iuuan

Iuuante: teque Christiani
Finge parem titulo poeta.

Ad Laurentium Toscanum patruelem meum.

Ne, Laurens, cupidum plus nimio tibi
Pectus sollicitent diuitiæ, tuis
Auri attentus aceruos
Dum natis properas pater.
Quanuis non Arabum gens opulentior
Te, baccas cumulet diuitis India:
Et differta laboret
Gazis arca tuis minor:
Non quales deceat postgenitis opes
Dimittes, vacua cum steterit colo
Olim Parca, premetque
Fati dura necessitas,
At mentes potius sunt studiis rudes
Formandæ ingenuis, dogmataq; aurib⁹
Instillanda tenellis
Cælestis sapientiæ,
Nam torno facili rasile cum recens
Vas prodit, nimium scilicet interest
Nardo hunc diuite tingas,
Tetri facibus an gari.
Hunc censum teneræ sedulus, hunc para
Thesaurum soboli, quẽ nequeat mala
Regum auferre libido,
Nec sortis rapiant vices.

Ad

Ad Pe.Benedictum.

Indictus ergo carminibus queus
Abire nostris? nec sibi pagina
Praescribet vlla dulce Petri
Nomen adhuc: meritosq́ honores?
Non cura solers hoc meruit, rude
Qua pectus annis in teneris meum
Sermone formasti, artibusque
Egregiis vtr usque linguae.
Nec plus aquosa semifero Dea
Proles magistro debuit: Orphei
Linus nec accuratiore
Ingenium studio refinxit.
Quanquam potentes edocuit modos
Fluctus recuruare in caput: & cauis
Audita truncis, & ferarum
Carmina qua traherent cohortē.
Finxit recentum quis hominum feros
Ritus, canora fila mouens lyra
Vates beatus: quippe votis
Rite suis dociles modorum
Sortitus aures. Haud ita virginum
Mentes amicas hac studiis ferunt
Faecunda prolis saecla dirum
Omne nefas animo mouentis.
Nunc indecoras, vis Genij sui
Quoscunque ad vndam Pieridū *rapit,*
Tractamus artes: nunc honores
Thessalica periere frondi,

At

At siquod inter perpetuas mali
Æui tenebras lumen amabile
Solertis ingeni refulget,
(Quale tuum Benedicte, claris
Reconditarum dotibus artium
Insigne) præsens numen habebitur
Mihi illud, accedetque nostris
Materies operosa chartis.

Ad P. G. Vaxim.

Strophe 1.

Vaxi, qui montis bifidi aereo
Consides cacumine, per varios
Vectus labores, dum celebri inuigilias
Gloriæ: longo meritos studio
Nunc colligis fructus abunde.
Percipiesque magis
Vbi ruperit seuera
Stamina Parca manu,
Metamque laudati tibi
Sistet æui At *ipse more*
Debilis atque palustris auis
Stagna perstrepentis, &
Circa lacus peruoli-
tantis, & raucum gementis.

Antistrophe, 1.

Te volatu subsequor haud facili

Alitem

Alitem Phœbi procul auricomi.
Te, cuius vdo gutture nectarea
Fingitur vox, quæ potis est hominum
Mulcere mentes ac Deorum.
Barbitos Aonij
Tibi vatis attributa est,
Pollice, quem stupuit
Dirce retentantem modis
Grandibus neruo, sonantes.
Ille ruit veluti fluuius,
Arua qui viciniæ
Vndis tegit vertice
Montis excelso volutus.

Epo. 1.

Gleba sed quem protulit Appulia
Vatem Latini carminis,
Hic gelidus veluti
Argenteis qui vorticibus trepidat
Per nemus fons, irrigatque
Gramine floribus atque auricomis
Depicta prata, sic fluit.
Te carminis Ausonij,
Nunc participemque simul video
Graiæ Camœnæ: seculi
O dulce præsentis decus, &
Clara laus vrbis, patrijque soli:
Prima Musis cura duplex.

Strophe. 2.

Ergo qui colles colis, & gelidum
Iam nemus Cyrrhæ, Venexisque tenes
Horto cacumen non procul a viridi
Fert tibi responsa sui genito-
ris fulminatoris, draconis
Terrigenæ domitor,
Pede non firmo satis dum
Me arduum iter lyrici
Labore Dircæi graui
Subleua sensim sequentem,
Cruraque nescia verticis, in
Quo sacer sedet latex:
Certo gradu dirige:
Ac iugo ne siste summo.

Antist. 2.

Atque da fatis procul a miseri
Subtrahi vulgi celeri celebrem
Quem Fama supremas Iouis vsque domos
Euehit penna, beat atque polo,
Non ille ceu torpens adulter,
Solus in eximiis,
Aliis Troiam vocatis,
Qui domibus iacuit,
Deses manebit ac iners.
Laudis at flagrans amore,
Curriculo celer vt sonipes

Fertur amplo gloria
Succensus ardore, quo
Pone cateros relinquat,

Epo. 2

Ille sic laudum stimulis agitur,
Audax per tela perpeti
Ardua: nanque feri
Certaminis mox eluit egregium
Palma sudorem, eque salso
Redit adorea mox nectareum;
Talis paternas impiger
Sedes pede qui tetigit:
Cuius vi Acheronta labos, Stygij
Perrupit & atra Iouis
In regna, mercatusque domos
Calitum: quem posteritas celebrat,
Sed nec vllus assequetur.

Stro. 3.

Nescit at vulgi male sana rudis
Mens, in atris ancipites tenebris
Nã virginis quid significent chorea
Noctiluca, qua ambiguum per iter
Nunc caca fertur, nunc renidens:
Quaque agili pariter
Pede pulsant, hanc sequuta
Lumina noctiuaga,
Conuexa cali: nuptiet

Quid Canis sidus malignum
Haud aliter quoque contingit his,
Qui se acuto culmine
Consistere existimant,
Quem nouem colunt sorores.

Ant. 3.

Qui putant & Cyprigenæ virides
Se recessus iam penetrasse deæ.
Ast ipsa portas non aperit temere
Diua: sed siquis bene promeruit,
Fert ille sudatos, honores.
Qui validum Æacidem, &
Cecinit Troiæ duellum
Nobile, talis erat.
Atqui sororum Hyantidum
Sacra frigenti, ac remisso
Qui studio celebrant, veruli
Vt molossi belua
Rictus inertes fugit.
Sic eos vano labore

Epod. 3.

Se aucupantes gloria destituit.
Quis nempe necquicquam cupit
Nomina protrahere
Suprema post fata, atque rogi cinerem.
Iuppiter nisi superne
Adsit amicus, & adsit studium,

Cui

Cui durus it comes labor.
Hasta gladioque ferox
Nympha Oceanitide progenitus,
Semel quieuit vt virum
A cædibus, tunc Æmoniam
Barbiton curas quatit attenuans
Ipse vates, ipse miles.

Ad Io. Poterum.

Quæ tibi munditiis simplex Elegia, Potere,
Venit inornatas irreligata comas,
Deseruit nuper scopulosi flumina Loti
Nuntia Toscano missa iubente tibi.
Si confecit iter fortassis lenta: mouere
Non potuit claudos ocyus illa pedes.
Neglecti fuerit quæ cultus caussa rogabis:
Posset vt infidas tutior ire vias.
Qualiscunque quidem, nec fallunt omina vatem,
Adfuit hæc animo grata, Potere, tuo.
Hoc sperare tuæ me candor mentis, & illa
Ingenua facies simplicitate iubet.
Atque animos nodo qui nostros perpete vinxit
Par Genius, studio dedita Musa pari:
Et dulci alloquio longos fallentia soles
Tempora, ducta simul quæ meminisse iuuat.
His ego, quam dextra cornice, aut oscine coruo,
Certius, & liquidis auguror auspiciis,
Ante rotas pelago mergendas solis Eoi,
Quam nostra exciderit pectore Musa tuo,
Illa iocos oblita, animi argumenta sereni,

Ingemit, heu, nostrum flebile discidium.
Quin funesta tuo digressu, & Vaxis alumni
Amissum queritur terra Cadurca decus.
Cernimus arborea turpatos frondis honores,
Graminaque in mœsto decubuisse solo:
Turbatis Lotum tristem decurrere lymphis,
Pampineas colles deposuisse comas.
Nempe simul comites vobiscum abscedere Musas,
Et Charites profugo vidit abire gradu.
Atque sibi reliquum nugas nil præter inanes
Atque graues voces, barbariemque meram.
O potius socijs per sæua pericula ituris
Additus, & vestri pars quotacunque forem,
Quam sic ingratus pariter Phœboque, mihique
Incolerem mœstum mœstior ipse solum.
Forsitan vnanimis comes haud indignus amicis
Mœnia visissem iuncta, Garumna, tibi.
Te nunc Tectosagum colerem lux rara senatus
Terassi, generis digna corona tui.
O pater haud virtute tibi sortite secundum
Spem patriæ natum, spemque decusque domus.
Sed quid vota iuuat iactare tot irrita Cauris?
Difficili spatio dissita terra vetat:
Et prohibet bacchata graui Bellona flagello,
Quæ quatit, heu, Gallæ ditia rura plaga,
Infelix quæ ciuili collisa duello
Mœsta gemit telis vulnera facta suis.
Scilicet hoc patriæ fortes in funera dextræ,
Quæ foditis ferro viscera vestra truci,
Insanę cupijstis, vt illa inuicta, diuque
Formido populis Gallia finitimis,

Æterna

Extera quam nunquam fregerunt bella, ruinam
Ipsa sibi acciret viribus vsa suis.
Nec tamen armorum furor, & vis efferа Martis.
Officiunt studijs, culte Potere, tuis.
Pallados assiduus vigilas in munera noctes,
Doctaque Pegaseo pectora fonte rigas.
Hinc tibi Celtarum claras diffusa per vrbes
Insomnis merces fama laboris erit.
Nec diuersa manent Lotaum præmia cygnum,
Qui pars est animæ dimidiata tuæ:
Quique Garumneas vocali pectine ripas
Personat, & liquidas versu inhibente vias.
Subdere plura libet: sed lãguida dextra volentem
Destituit, summum deproperatque Vale.

Elegia.

Colle sub aprico, qua se viridissima curuo
Æquora summittit vallis in ampla iugo,
Silua vetus fagis & densa consita quercu
Summouet intonsi torrida tela Dei:
In medio specus exeso caua pumice pendet,
Et molli tellus musco adoperta viret.
Impediunt frutices aditus: ederaq; vagantur
Flexipedes intus liberiore gradu.
Fons latices scabra manantes vndique topho
Excipit: arguto murmurat vnda sono:
Huc illucque vagis serpens anfractibus vnda
Gramineam tenui gurgite rorat humum.
Frõdibus hinc densum nemus, illinc musica flabra
Indicunt rapidis æstibus exilium.

Hac ego dum ſpatior nemorali ſolus in vmbra
Et tacito mecum pectore multa loquor:
Blanda fatigato curis æſtuque ſoporem
Perſuadet leni murmure lympha crepans.
Ergo vbi decubui muſcoſo feſſus in antro,
Occupat irriguus languida membra ſopor.
Mira canam, ſed vera canam, quæ ſomnia menti
Obuerſata animum detinuere meum.
Tunc mihi compoſito cultiſſima fœmina vultu
Venit, Apollinea fronde reuincta caput.
Veſtis erat pictis variata coloribus, almam
Quod Zephyrus verno tempore pingit humum.
Mille modis poſitos partim diſtincta capillos,
Partim neglectas irreligata comas.
Alba reluctantes cohibebat vitta papillas,
Radebat longo ſyrmate palla ſolum.
Cui non greſſus erat, non cultus, non color vnus:
Grataque ſe variis intulit ipſa modis.
Quoque magis mirere, illi non parua decoris
Gratia contemptus ipſe decoris erat.
Siue graui paſſu veſtigia lenta thahebat,
Maieſtas lentos eſt comitata gradus.
Seu celeri iaculo vel turbinis ocyor alis
Emicat, intacta eſt mollis arena pede.
Quin etiam claudo, memini, veſtigia greſſu
Mouerat à vitio gratior ipſa ſuo.
Mox vbi mirantis variæ ſpectacula formæ
Ornatu ſenſit lumina capta nouo,
His ſtupidi ſenſus a vocibus interrupit:
Nectareus roſeo fluxit ab ore ſonus.
Qui tibi molle (inquit) dubia formidine pectus

Pertentant; vanos excute mente metus.
Non hic,quem timeas, cultus,non forma,nec ætas:
Lætitiæ, pacisque omnia plena vides.
Sum dea, quæ dulcis nuper tibi læta iuuentæ
Tempora florenti detinui studio:
Quæ multis vano tentata labore Poesis
Quos libuit claro laudis honore beo.
His ego te excepi venientem in luminis oras
Vlnis,hoc foui membra tenella sinu.
Balbaque Pegaseo diffudi nectare labra:
Distinxique rudes in sua verba sonos.
Mox etiam chordis indoctæ dissona vocis
Correxi, & segnes institui digitos:
Vt præsigne feras, seu forti pectine neruos,
Seu tenui malis increpuisse, decus.
Pro quibus officiis quos nunc ingratus honores
Quæ mihi pro claro nomine dona refers?
Scilicet ingenium studiis auertere nostris:
Et potes Aonios deseruisse choros.
Vix ea desierat, cum frondes omne caducas
Insonuit strepitu decutiente nemus.
Mox procul humana species augustior alma
Virginis ambrosium fudit ab ore iubar:
Ac vera incessu patuit dea, purius auro
Et cultu gemmis splendidiore micans.
Vtque soror radiis fraternis cærula cedit,
Sic prior illa noua est victa nitore deæ.
Ergo(ait)incautos æternis callida nectes
Illecebris, dulces docta Poesi dolos?
Et iuuenum mentes lactabis perfida, vanum
Pro solidæ ostentans laudis honore, decus?

Non

Non erat hoc nimium, quod ver tibi prodigus æui
Imputat, & primæ tempora militiæ.
Illius nisi seruitio imperiosa maligno,
Perpetuoque iugo subdita colla premas?
Nec tamen euinces: nam duris colla catenis
Soluimus: excusso nunc petet astra iugo.
Vt sophiæ deinceps vigeat cælestis amator,
Et cedat studio Musa profana pio.
Dixerat: illa Dea dictis pudefacta seuera
Euolat in rapidi turbinis acta modum.
Sacra mihi æthereo Sapientia perculit œstro
Pectus, & æterno torruit igne iecur.
Quæ simul ex oculis liquidas sublata per auras
Discussusque meo corpore somnus abit.

IO. M. TOSCANI

Epigrammata.

Ad Paullum Toscanum.

CVm perspe animo meo volutem
Quo te, Paulle meum decus, meorũ
O auctor, columenque commodorum
Donem munere: quid potissimum, ne
Ingrati videar notam subire,
Obtulisse queam: nihil pote vnquam
Mi succurrere, quod tibi dicetur,
Obseruantiæ vt id perennę nostrę
Esset mnemosynon. tibin' beato
Donem diuitias? at ipse me vltro
Beastique opibus tuis beasque.
Mittam carmina? mittere hac poetam
Fas est: sæpius hæc & ipse misi:

Sed

Sed nonne hæc tua sunt, tuo parata
Aere iam tibi sumptibusq; largis,
*Quibus me, teneris ab * * que claris*
Curasti studijs probe expoliri?
Restat solùm animus: tibi at dicatus
Hic pridem fuerat: tuusque totus.
Quid ergo superest, nisi vt putemur
Ingrati? at nihil hoc mage indecorum.
Hanc ergo vt maculam vitemus, ipsa
Quanquã nunc tua sunt, fuere & olim,
Opes, musam, animum tibi dicamus.

Ad Lectorem.

Carmina si tantum laudas facunda Catulli,
Vel perfusa pari si qua lepore madent:
Et si fastidis vatem, quem protulit alta
Bilbilis Hesperio proxima terra freto:
Pone precor chartas, leuis est iactura, iocosas:
Non mea subducti est Musa supercilij.
At si borbonios, si voluis amice Marullos,
Non adeo sunt hæc deteriora: lege.

Ad Io. Auratum.

Quod tu, siue Epico tonas cothurno,
Siue aptas Elegis leues amores,
Seu sales Epigrammatum iocosos
Promis, seu numerosiora plectro
Iungis verba, tibi secundat orsa
Cyrrhæus, nec Hyantiæ sorores
Vlli dexterius fauent poetæ,
Hoc cum Mæonide tibi, & Marone,
Et cum Callimacho, & simul Tibullo,
Cum ciui Calabroque, Lesbioque

Commu-

Commune est, alijsque cum trecentis.
Sed quod Gallia quotquot eruditos
Fœcundo ediderit sinu poetas
Acceptos referat tibi, tua omnes
Hos industria finxerit, labósque,
Aurate. hoc proprium est, tuúmque totũ
Qui poemata, qui facis poetas.

Ad M. Antonium Muretum.

Certamen, Murete, nouum: te Gallia ciuem
Asserit hinc, illinc terra Latina suum.
Quem nunc implentem Romana Palatia voce
Eloquij priscum restituente decus
Attonitus stupuit post ter sibi sæcula quina
Tibris inauditos dum bibit aure sono.
Te mea Roma suis dum nuper ciuibus vltro
Annumerat, gaudens talia verba dedit:
Terra mihi tales Lemouix dum mittat alumnos,
Nil moror Arpinum, municipesque suos.

Ad Petrum Benedictum.

Ausonij exemplum eloquij Benedicte fuisti,
Sed lingua doctor tu mihi Cecropia.
At demum Hebream nunc te monitore capesso:
Exemplum, monitor, doctor, & ipse mihi es,

Ad Octauianum Citadinum, Canonicum D. Petri Romæ.

Si Citadine tibi quantum debere fatemur.
Tantum a me tibi, persoluier ipse velis,
Quamuis fortunasq; tibi, ingeniumq; animamq;
Largiar, ipse nihil persoluisse putem.

Ad Franciscum Citadinum Caesenatem Episcopum.

Tune etiam præsul, dudum qui nostra Thalia
Hæsitat an doctus an [illegible]
Tene putas nostris intextum viuere [illegible]
Posse? quis huic Musæ plus tribuisse queat?
Quæ Lethes si funereas perrumpere [illegible]
Possit, & a longa posteritate legi:
Non tunc ingenio viuent tua nomina nostro,
Sed genio viuent Carmina nostra tuo.

Ad Cæsarem Toscanum.

Cæsar nec studijs mihi nec æuo
Dispar, sanguine iuncte, [illegible]
Vsu, iunctæ animoque cert[illegible]*,*
Et quidem teneris id vsque ab [illegible]
Sub vno quibus & magistro vterque
Vitam duximus, & domo sub vna;
Cum nos mensulaq; vna, le[illegible]
Vnus exciperet. Sed id deesse,
Id demum poterat satis videri
Dispar: quando sacra mihi [illegible]
Vita contigerat, tibi profanam
Sectari; ergo foret tibi vna causa
Ne discriminis & mihi, ecce [illegible]
Exemplum sequeris: Deo [illegible]
Ergo quid simile est mag[illegible]
Cõiunctumue magis, [illegible]
Cui fuit Pylades, [illegible] *Oreste*
Quam nobis melius [illegible]

Strophe. 2.

Ergo qui colles colis, & gelidum
Iam nemus Cyrrhæ, Venerisque tenes
Horto cacumen non procul a viridi
Fert tibi responsa sui genito-
ris fulminatoris, draconis
Terrigenæ domitor,
Pede non firmo satis dum
Me arduum iter lyrici
Labore Dircæi graui
Subleua sensim sequentem,
Cruraque nescia verticis, in
Quo sacer sedet latex:
Certo gradu dirige:
Ac iugo ne siste summo:

Antist. 2.

Atque da fatis procul a miseri
Subtrahi vulgi celeri celebrem
Quem Fama supremas Iouis usque domos
Euehit penna, beat atque polo,
Non ille ceu torpens adulter,
Solus in eximiis,
Alijs Troiam vocatis,
Qui domibus iacuit,
Deses manebit ac iners:
Laudis at flagrans amore,
Curriculo celer vt sonipes

Fertur

Fertur amplo gloria
Succensus ardore, quo
Pone cæteros relinquat,

Epo.2

Ille sic laudum stimulis agitur,
Audax per tela perpeti
Ardua: nanque feri
Certaminis mox eluit egregium
Palma sudorem, eque salso
Redit adorea mox nectareum;
Talis paternas impiger
Sedes pede qui tetigit:
Cuius vi Acheronta labos, Stygij
Perrupit & atra Iouis
In regna, mercatusque domos
Cælitum: quem posteritas celebrat,
Sed nec vllus assequetur.

Stro. 3.

Nescit at vulgi male sana rudis
Mens, in atris ancipites tenebris
Nã virginis quid significent choreæ
Noctiluca, quæ ambiguum per iter
Nunc cæca fertur, nunc renidens:
Quæque agili pariter
Pede pulsant, hanc sequutæ
Lumina noctiuaga,
Conuexa cæli: nuptiæ

Quid Canis sidus malignum
Haud aliter quoque contingit his,
Qui se acuto culmine
Consistere existimant,
Quem nouem colunt sorores.

Ant. 3.

Qui putant & Cyprigenæ virides
Se recessus iam penetrasse deæ.
Ast ipsa portas non aperit temere
Diua: sed siquis bene promeruit,
Fert ille sudatos honores.
Qui validum Æacidem, &
Cecinit Troiæ duellum
Nobile, talis erat.
Atqui sororum Hyantidum
Sacra frigenti, ac remisso
Qui studio celebrant, vetuli
Vt molossi belua
Rictus inertes fugit.
Sic eos vano labore

Epod. 3.

Se aucupantes gloria destituit.
Quis nempe necquicquam cupit
Nomina protrahere
Suprema post fata, atque rogi cinerem.
Iuppiter nisi superne
Adsit amicus, & adsit studium,

Cui

Cui durus it comes labor.
Hasta gladioque ferox
Nympha Oceanitide progenitus,
Semel quieuit vt virum
A cædibus, tunc Æmoniam
Barbiton curas quatit attenuans
Ipse vates, ipse miles.

Ad Io. Poterum.

Quæ tibi munditiis simplex Elegia, Potere,
Venit inornatas irreligata comas,
Deseruit nuper scopulosi flumina Loti
Nuntia Toscano missa iubente tibi.
Si confecit iter fortassis lenta: mouere
Non potuit claudos ocyus illa pedes.
Neglecti fuerit quæ cultus caussa rogabis:
Posset vt insidas tutior ire vias.
Qualiscunque quidem, nec fallunt omina vatem,
Adfuit hæc animo grata, Potere, tuo.
Hoc sperare tuæ me candor mentis, & illa
Ingenua facies simplicitate iubet.
Atque animos nodo qui nostros perpete vinxit
Par Genius, studio dedita Musa pari:
Et dulci alloquio longos fallentia soles
Tempora, ducta simul quæ meminisse iuuat.
His ego, quam dextra cornice, aut oscine coruo,
Certius, & liquidis auguror auspiciis,
Ante rotas pelago mergendas solis Eoo,
Quam nostra exciderit pectore Musa tuo,
Illa iocos oblita, animi argumenta sereni,

Ingemit, heu, nostrum flebile discidium.
Quin funesta tuo digressu, & Vaxis alumni
Amissum queritur terra Cadurca decus.
Cernimus arborea turpatos frondis honores,
Graminaque in mæsto decubuisse solo:
Turbatis Lotum tristem decurrere lymphis,
Pampineas colles deposuisse comas.
Nempe simul comites vobiscum abscedere Musas,
Et Charites profugo vidit abire gradu.
Atque sibi reliquum nugas nil præter inanes
Atque graues voces, barbariemque meram.
O potius socijs per sæua pericula ituris
Additus. & vestri pars quotacunque forem,
Quam sic ingratus pariter Phœboque, mihique
Incolerem mæstum mæstior ipse solum.
Forsitan vnanimis comes haud indignus amicis
Mœnia visissem iuncta, Garumna, tibi.
Te nunc Tectosagum colerem lux rara senatus
Terassi, generis digna corona tui.
O pater haud virtute tibi sortite secundum
Spem patriæ natum, spemque decusque domus.
Sed quid vota iuuat iactare tot irrita Cauris?
Difficili spatio dissita terra vetat:
Et prohibet bacchata graui Bellona flagello,
Quæ quatit, heu, Gallæ ditia rura plaga,
Infelix quæ ciuili collisa duello
Mœsta gemit telis vulnera facta suis.
Scilicet hoc patriæ fortes in funera dextræ,
Quæ foditis ferro viscera vestra truci,
Insanę cupijstis, vt illa inuicta, diuque
Formido populis Gallia finitimis,

Extera quam nunquam fregerunt bella, ruinam
Ipsa sibi accires viribus vsa suis.
Nec tamen armorum furor, & vis effera Martis.
Officiunt studijs, culte Potere, tuis
Pallados assiduus vigilas in munera noctes,
Doctaque Pegaseo pectora fonte rigas.
Hinc tibi Celtarum claras diffusa per vrbes
Insomnis merces fama laboris erit.
Nec diuersa manent Lotaum pręmia cygnum,
Qui pars est animę dimidiata tuę:
Quique Garumneas vocali pectine ripas
Personat, & liquidas versu inhibente vias.
Subdere plura libet: sed lãguida dextra volentem
Destituit, summum deproperatque Vale.

Elegia.

Colle sub aprico, qua se viridissima curuo
Æquora summittit vallis in ampla iugo,
Silua vetus fagis & densa consita quercu
Summouet intonsi torrida tela Dei:
In medio specus exeso caua pumice pendet,
Et molli tellus musco adoperta viret.
Impediunt frutices aditus: ederaq; vagantur
Flexipedes intus liberiore gradu.
Fons latices scabra manantes vndique topho
Excipit: arguto murmurat vnda sono.
Huc illucque vagis serpens anfractibus vnda
Gramineam tenui gurgite rorat humum.
Frõdibus hinc densum nemus, illinc musica flabra
Indicunt rapidis æstibus exilium.

Hac ego dum ſpatior nemorali ſolus in vmbra
Et tacito mecum pectore multa loquor:
Blanda fatigato curis æſtuque ſoporem
Perſuadet leni murmure lympha crepans.
Ergo vbi decubui muſcoſo feſſus in antro,
Occupat irriguus languida membra ſopor.
Mira canam, ſed vera canam, quæ ſomnia menti
Obuerſata animum detinuere meum.
Tunc mihi compoſito cultiſſima fœmina vultu
Venit, Apollinea fronde reuincta caput.
Veſtis erat pictis variata coloribus, almam
Quod Zephyrus verno tempore pingit humum.
Mille modis poſitos partim diſtincta capillos,
Partim neglectas irreligata comas.
Alba reluctantes cohibebat vitta papillas,
Radebat longo ſyrmate palla ſolum.
Cui non greſſus erat, non cultus, non color vnus:
Grataque ſe variis intulit ipſa modis.
Quoque magis mirere, illi non parua decoris
Gratia contemptus ipſe decoris erat.
Siue graui paſſu veſtigia lenta trahebat,
Maieſtas lentos eſt comitata gradus.
Seu celeri iaculo vel turbinis ocyor alis
Emicat, intacta eſt mollis arena pede.
Quin etiam claudo, memini, veſtigia greſſu
Mouerat a vitio gratior ipſa ſuo.
Mox vbi mirantis variæ ſpectacula formæ
Ornatu ſenſit lumina capta nouo,
His ſtupidi ſenſus a vocibus interrupit:
Nectareus roſeo fluxit ab ore ſonus.
Qui tibi molle (inquit) dubia formidine pectus

Per-

Pertentant; vanos excute mente metus.
Non hic, quem timeas, cultus, non forma, nec ætas:
Lætitiæ, pacisque omnia plena vides.
Sum dea, quæ dulcis nuper tibi læta iuuentæ
Tempora florenti detinui studio:
Quæ multis vano tentata labore Poesis
Quos libuit claro laudis honore beo.
His ego te excepi venientem in luminis oras
Vlnis, hoc foui membra tenella sinu.
Balbaque Pegaseo diffudi nectare labra:
Distinxique rudes in sua verba sonos.
Mox etiam chordis indoctæ dissona vocis
Correxi, & segnes institui digitos:
Vt præsigne feras, seu forti pectine neruos,
Seu tenui malis increpuisse, decus.
Pro quibus officiis quos nunc ingratus honores
Quæ mihi pro claro nomine dona refers?
Scilicet ingenium studiis auertere nostris:
Et potes Aonios deseruisse choros.
Vix ea desierat, cum frondes omne caducas
Insonuit strepitu decutiente nemus.
Mox procul humana species augustior almæ
Virginis ambrosium fudit ab ore iubar:
Ac vera incessu patuit dea, purius auro
Et cultu gemmis splendidiore micans.
Vtque soror radiis fraternis cærula cedit,
Sic prior illa nouæ est victa nitore deæ.
Ergo (ait) incautos æternis callida nectes
Illecebris, dulces docta Poesi dolos?
Et iuuenum mentes lactabis perfida, vanum
Pro solidæ ostentans laudis honore, decus?

Non

Non erat hoc nimium, quod ver tibi prodigus aui
Imputat, & primæ tempora militiæ
Illius nisi seruitio imperiosa maligno,
Perpetuoque iugo subdita colla premas?
Nec tamen euinces: nam duris colla catenis
Soluimus: excusso nunc petet astra iugo.
Vt sophiæ deinceps vigeat cælestis amator,
Et cedat studio Musa profana pio.
Dixerat: illa Dea dictis pudefacta seuera
Euolat in rapidi turbinis acta modum.
Sacra mihi æthereo Sapientia perculit œstro
Pectus, & æterno torruit igne iecur.
Quæ simul ex oculis liquidas sublata per auras
Discussitque meo corpore somnus abit.

IO. M. TOSCANI
Epigrammata.

Ad Paullum Toscanum.

CVm persæpe animo meo volutem
Quo te, Paulle meum decus, meorũ
O auctor, columenque commodorum
Donem munere: quid potissimum, ne
Ingrati videar notam subire,
Obtulisse queam: nihil pote vnquam
Mi succurrere, quod tibi dicetur,
Obseruantiæ vt id perenne nostræ
Esset mnemosynon. tibin' beato
Donem diuitias? at ipse me vltro
Beastique opibus tuis beasque.
Mittam carmina? mittere hæc poetam
Fas est: sæpius hæc & ipse misi:

Sed nonne hæc tua sunt, tuo parata
Aere iam tibi sumptibusq; largis,
Quibus me, teneris ab [illegible]que claris
Curasti studijs probe expoliri?
Restat solùm animus: tibi ai dicatus
Hic pridem fuerat: tuusque totus.
Quid ergo superest, nisi vt putemur
Ingrati? at nihil hoc mage indecorum.
Hanc ergo vt maculam vitemus, ipsa
Quanquã nunc tua sunt, fuere & olim,
Opes, musam, animum tibi dicamus.

Ad Lectorem.

Carmina si tantum laudas facunda Catulli,
Vel perfusa pari si qua lepore madent:
Et si fastidis vatem, quem protulit alta
Bilbilis Hesperio proxima terra freto:
Pone precor chartas, leuis est iactura, iocosas:
Non mea subducti est Musa supercilij.
At si borbonios, si voluis amice Marullos,
Non adeo sunt hæc deteriora: lege.

Ad Io. Auratum.

Quod tu, siue Epico tonas cothurno,
Siue aptas Elegis leues amores,
Seu sales Epigrammatum iocosos
Promis, seu numerosiora plectro
Iungis verba, tibi secundat orsa
Cyrrhæus, nec Hyantiæ sorores
Vlli dexterius fauent poetæ,
Hoc cum Mæonide tibi, & Marone,
Et cum Callimacho, & simul Tibullo,
Cum ciui Calabroque, Lesbioque

Commu-

Commune est, aliјsque cum trecentis.
Sed quod Gallia quotquot eruditos
Fœcundo ediderit sinu poetas
Acceptos referat tibi, tua omnes
Hos industria finxerit, labósque,
Aurate. hoc proprium est, tuumque totũ
Qui poemata, qui facis poetas.

Ad M. Antonium Muretum.

Certamen, Murete, nouum: te Gallia ciuem
Asserit hinc, illinc terra Latina suum.
Quem nunc implentem Romana Palatia voce
Eloquij priscum restituente decus
Attonitus stupuit post ter sibi secula quinę
Tibris inauditos dum bibit aure sono.
Te mea Roma suis dum nuper ciuibus vltro
Annumerat, gaudens talia verba dedit:
Terra mihi tales Lemouix dum mittat alumnos,
Nil moror Arpinum, municipesque suos.

Ad Petrum Benedictum.

Ausonij exemplum eloquij Benedicte fuisti,
Sed linguæ doctor tu mihi Cecropiæ.
At demum Hebream nunc te monitore capesso:
Exemplum, monitor, doctor, & ipse mihi es.

Ad Octauianum Citadinum, Canonicum D. Petri Romæ.

Si Citadine tibi quantum debere fatemur.
Tantum a me tibi, persoluier ipse velis,
Quamuis fortunasq; tibi, ingeniumq; animamq;
Largiar, ipse nihil persoluisse putem.

Ad Franciſcum Citadinum Caſtrenſem Epiſcopum.

Tune etiam præſul, dudum qui noſtra Thalia
Hæſitat an doctus an vocitere pius:
Tene putas noſtris intextum viuere chartis
Poſſe? quis huic Muſæ plus tribuiſſe queat?
Quæ Lethes ſi funereas perrumpere leges
Poſſit, & a longa poſteritate legi:
Non tunc ingenio viuent tua nomina noſtro,
Sed genio viuent Carmina noſtra tuo.

Ad Cæſarem Toſcanum.

Cæſar nec ſtudijs mihi, nec æuo
Diſpar, ſanguine iuncte, iuncte longo
Vſu, iuncte animoque corculoque,
Et quidem teneris id vſque ab annis:
Sub vno quibus & magiſtro vterque
Vitam duximus, & domo ſub vna;
Cum nos menſulaq; vna, lectuluſq;
Vnus exciperet. Sed id deeſſe,
Id demum poterat ſatis videri
Diſpar: quando ſacræ mihi dicari
Vitæ contigerat, tibi profanam
Sectari, ergo foret tibi vna cauſſa
Ne diſcriminis & mihi, ecce noſtrum
Exemplum ſequeris: Deo dicaris.
Ergo quid ſimile eſt magis, gemellum,
Cõiunctumue magis, magis quid vnũ?
Cui fuit Pyladi, cuiue Oreſti
Quam nobis melius beatiuſue?

In Imaginem Vaxis male pictam.

Tentantem cera Vaxæos ducere vultus,
Pictorem vidit Phœbus, & indoluit.
Immortale decus mortalis reddere posset
Ne manus, offusis sic vetuit tenebris.

Idem.

Tam bene quæ potuit multorum effingere vultus
Tam male cur Vaxis reddidit ora manus?
Artificis facile est opus excusare sinistrum,
Ars etenim Vaxin reddere nulla potest.

De Statua Rhetoris

Perspicuos latices gelidi quæ fontis imago
Seruat in hac Phlyari Rhetoris ora vides:
Quanuis marmorea est, quanuis perfūditur vndis
Non tamen est ipso rhetore frigidior.

Tumulus coqui.

Hic dum forte caui fugienti feruidus instat,
Altius impresso se necat ipse veru.
Illud credibile est aliquam rexisse sororum
Eumenidum, & miseri pectus adisse coqui,
Tartarei imperio Regis, cum forte deesset
Qui coqueret Stygio fercula nigra Ioui.

Ad Horatium Candidum Laudensem.

Ecquis, Candide, non stupescit, ecquis.
Culti carminis Atticos lepores,
Ac sales sapidos, iocosque molles,
Et raros nitidissimi colores
Sermonis, tibi quæ potens Camœna
Largita est sinubus benigna plenis,

Cum

Cum sis vel titulo satis disertus?
Flacco persimilem docet te Horati
Nomen perspicuaq; puritatis
Quod sint carmina Candidus vocaris:
At nomen patriæ feracis omen
Quis laudis neget esse sempiternæ?

De Virgilio.

Virgilium cælo Phœbus demisit, vt esset
Mæoniam posset qui superare tubam.
Se vinci vt sensit, tunc æmulus ipse canorum
Ante diem Stygio mersit in amne caput.

Tumulus Thaddæi Zucheri pictoris.

Natura artifices Zucheri mirata figuras,
Oraque distinctos reddere visa sonos,
Præproperata iubens abrumpere licia Parcas,
Mortales vetuit se superare manus.

Alius.

Effigies animata, decus, monogramma, colores,
Omnipara factis æmula signa deæ,
Et quicquid viuis confert pictura figuris
Hoc tumulo, Zucheri qui tegit ossa, latent.

Alius.

Hic situs est pictor Zucherus, quem liuida fata
Post hiemes septem, senaque lustra necant.
Heu nimium igenijs breuis ætas, rara senectus
Sic Atropos, quæ sunt optima, prima rapit.

Alius.

Hoc sub marmore pictor ille notus,
Tota qui periit dolente Roma,
Velox ingenio, manuque felix
Decumbit Zucherus, perempta qui dum

Vita corpora reddit inquietus,
Multis quam dederat reliquit ipse.

Imitatum ex Sulp. Apollinari.

Gesta ducis Phrygij, flammis deuouerat autor,
Extremam prohibent dum fera fata manum.
Sed Tucca, Varique vetat pia cura: patrono
Cæsare Romanæ viuitis historiæ.
Quam timuit sæuæ sibi per discrimina flammæ
Ilios antiquo plus superesse rogo.

Tumulus Laurentij Toscani
Episc. Lodeuen.

Si virtus, pietasque mori, ac prudentia possent,
Debuerant, Laurens, te moriente mori.

Ad Plusium.

Iure sodalitii nobis, & sanguine iunctum
Mutua te centum, Plusie sæpe rogo.
Tu consaguineum, veterem tu spernis amicum,
Atque preces rigida concipis aure meas.
Insuper & quereris nimium nos esse molestos,
Obuius occurram quo tibi cunque loco:
Hoc ago, vt exhibeas illud quandoque molesto,
Quod nec cognato, Plusie, nec socio.

F I N I S.

R O M AE,
Apud Iacobum Ruffinellum. 1590.